32

1657


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
6
A
14

VNA FIDES,
VNIVS
ECCLESIÆ ROMANÆ
CONTRA
INDIFFERENTES
HVIVS SÆCVLI,
Tribus libris facili methodo asserta



A

P. HONORATO FABRI
SOCIETATIS IESV
Theologo.

Cum facultate Superiorum,
& Priuilegio Cæsareo.

DILINGÆ,
Formis Academicis:
Apud Ignatium Mayer.
Anno Domini M. DC. LVII.

EMINENTISSIMO,
ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
Domino, Domino

IOANNI PHILIPPO

S. SEDIS MOGVNTINÆ
ARCHIEPISCOPO,
S. R. I.
PER GERMANIAM
ARCHICANCELLARIO,
PRINCIPI ELECTORI,
Nec non
EPISCOPO HERBIPOLENSI,
ET
ORIENTALIS FRANCIÆ
DVCI, &c.
Domino meo Clementissimo.

ERit fortè, quod mirum TIBI accidat, Elector Eminentissime, adesse hominem, vt facie, ita & nomine TIBI prorsus ignotum,

tum, qui ex abrupto TE interpellet, & hoc opuſculum, quantulumcunque ſit, Clariſſimo TVO Nomini, TE inconſulto, inſcribere non vereatur. Cui verò potiùs, quàm TIBI, veteri more, hanc meam lucubrationem inſcriberem, nemo mihi occurrit. Adiaphoros huius temporis, quibus perinde eſt, quam demùm religionem teneant, aggredior. Per omnes Prouincias, quas Catholicæ fidei deſertores inſederunt, ſerpere hanc peſtem, in aliquibus etiam altas radices egiſſe audio. Germaniam quoque, quâ vix vlla quondam Gens viſa fuit Catholicæ Eccleſiæ addictior, eandem opinionem inuaſiſſe vehemẽter doleo. Sed inuaſit tantùm, nondum oppreſſit. Obuiàm eundum eſt ſerpenti malo. Quis verò id TE rectiùs

fece-

ſecerit, Eminentiſſime Princeps, cuius & ſumma eſt in Germania Authoritas, & perſpecta omnibus antiqua Fides TVA & Religio.

Cùm igitur in TE, non illuſtris modò generis Nobilitas, longa rerum geſtarum experientia, ac gerendarum peritia, ſingularia in Rempublicam merita, altiſſimus vtriuſque dignitatis gradus, indoles rebus arduis & maximis nata & apta, aliáque id genus: verùm etiam integerrima erga Deum fides ac Religio, nec non auitæ pietatis indefeſſus cultus, & ardentiſſimum ſtudium mirabiliter eniteant: quid mirum, ſi non exiguum à tanto ſplendore radium hæc mea lucubratio mutuetur; quæ cùm per ſe ipſa obſcurior ſit, adeò benignæ lucis appulſu, ex ſuis tenebris

emergat, & à clarissimo illo Germaniæ sole, aliquid boni luminis hæc vmbratilis exercitatio excipiat? Solem appello, qui tantam vim Christiani & politici luminis diffundis, spargísque vbertim in omnes Germanicæ sphæræ circulos, vt vastissimi illius corporis, quasi mens vegeta, & assistens animus esse videaris. Nempe quidquid in Comitiis, sani consilii; in periculis, opportuni remedij; in dissidiis, congruentis temperamenti affulsit, TVÆ industriæ fuit, ac prudentiæ. Si quid in nodis difficile, soluis; implicatum in negotiis, expedis; in machinis tectum, aperis; in animis durum, mollis; in rebus perditum ac desperatum, seruas & restituis. Id tamen præ cæteris ad rem nostram facit, quòd ardentissimo religionis ac fidei

ſidei propagandæ ſtudio ductus, nihil non moliris, vt errantes in ſalutis viam reuoces; nullíſque laboribus, nullis ſumptibus, induſtriæ nulli parcis, vt Hæreticos in priſtinum optimæ Parentis, à qua ipſi deſciuerunt, Eccleſiæ gremium reducas. In quo ſanè boni & optimi Paſtoris partes agis, qui tantâ curâ, tantóque animi ardore ac ſtudio gregi Dominico inuigilas: quò fit, vt non Elector modò, ſed à Deo electus ſis, ad ea pro Eccleſia & Catholica fide agenda, quæ & Catholicos in antiquæ fidei officio contineant, & ſectarios ad meliorem frugem adducant. Faxit Deus, vt Tvis votis reliqui obſecundent, eúmque tandem Tvorvm laborum ac ſolicitudinis fructum referas, quem vnà mecum opti-

mi quique TIBI ex animo adprecantur. Vale hîc feliciter, & illic æternùm viue Princeps Eminentissime. Romæ. 1. Iunij. 1656.

Eminentiæ TVÆ

Humillimus in Christo Seruus

HONORATVS FABRI S. I.

Lectori.

ALiquam Instituti mei rationem tibi exponere, operæ pretium esse putaui, Ingenue Lector, cùm præcipua quædam effugia, quibus Adiaphori simpliciorum animos in fraudem inducunt, à doctißimo viro in certa capita digesta atque distincta, huc Romam missa fuissent, eáque præcludendi prouincia ab iis, à quorum nutu & voluntate tota meæ vitæ ratio pendet, mihi credita & commissa; nouam saltem responsionis methodum ac viam inire decreui, ne si antiquam inirem, iam actum agerem, cùm hæc ab aliis iam ferè ad nauseam tractata & trita fuerint. Ita-

que hunc mihi ordinem seruandum præscribo, vt totum opus in tres libros distinctum sit, in quorum primo, Data quædam & concessa ab aduersariis præmittam: In secundo, aliquot Propositiones, quæ ad rem hanc faciunt, ex datis præmissis deducam, eámque potissimùm, quæ totius rei cardo est, homines scilicet in Ecclesia duntaxat Romana saluari posse, quod multis rationibus euincam: In tertio demum præcludam Aduersariorum effugia, ac diluam argumenta.

Quòd autem ea, quæ primo libro tradimus, ab Adiaphoris dentur, ex ipsorum effugiis perspicuum est: Hîc enim contra laxiores, seu molliores

liores adiaphoros non ago, ſed contra illos, qui ſtrictioris ſunt generis, à quibus illi duntaxat in fidei ſocietatem admittuntur, qui Symbolum Apoſtolicum tenent, in eo ſenſu, quem quatuor prima Concilia œcumenica tradiderunt: ac proinde ipſi Catholicos, Lutheranos, Caluiniſtas, & Græcos ſchiſmaticos, fidelium loco habent, & ex iis, Eccleſiam Chriſti componunt; ac volunt ea, in quibus inter ſe illi diſſentiunt, ad fidei ſubſtantiam non pertinere. Cur verò effugiorum nomine, Aduerſariorum argumenta refellam, optima ratio non deeſt; nempe huiuſmodi homines cùm aliam à Catholicâ ſectam profiteantur, nec Catholico-

rum

rum argumenta soluere poßint, quibus fidei nostræ veritas demonstratur, id effugij nacti sunt, vt concederent vltrò, Catholicorum fidem optimam esse, sed pariter minimè damnandam Protestantium aut Caluinistarum religionem: ac perinde esse, siue hanc, siue illam homines amplecterentur, cùm vna ab aliâ in substantialibus, vt aiunt, minimè differat. Hinc illa adiaphoria, quam vt confirmarent, prædicta argumenta commenti sunt, quæ haud abs re effugia in tertio libro à me vocantur.

Præterea cogitaueram Data illa, quasi principia, citra vllam probationem supponere; amicorum tamen

con-

consilium secus tulit, quibus è re esse visum est, vt fidei nostræ ac religionis principia in breuem quasi summam contraherem, eáque breuibus quidem, solidis tamen rationum momentis munirem. Quod vt nonnullis saltem magis acceptum esset, omisi rationes huc vsque ab aliis allatas, & ingeniosè excogitatas, non quòd eas magni non faciam, sed quòd eæ apud auctores videri possint, qui rem hanc ex professò tractarunt: ego meas duntaxat adduco, vt nonnullis facerem satis, quibus illæ non parùm arrident: quòd ad me spectat, rem iis confici puto; erunt haud dubiè, qui secus sentiant, quibus sanè liberum erit, vt vel illa principia citra proba-

tionem ſupponant, vel auctores illos conſulant, qui hac de re ex profeſſo egerunt, apud quos alias rationes inuenient, quas hîc deſcribere facile fuiſſet, niſi meis duntaxat armis, non alienis pugnare conſtituiſſem.

Cur verò hæc data, ceu principia præmittam, facilè perſpiciet, quiſquis ratiocinij artis peritus eſt; illa enim ſolida doctrina nõ eſt, quæ iactis prius fundamentis non nititur, ſine quibus ædificium ſtare nõ poteſt. Et licèt Aduerſarij hæc data vltrò admittant, non deerunt tamen, qui vel dubitent, quibus etiam hanc operam meã vtilem eſſe velim: neque res iſta ab iis principiis abſtrahi, vt vocant, vel ſeiungi poteſt, ex quibus omnino de-

duci-

ducitur. Illa autem ſatis plenè & efficaciter probantur; quamquam obiter & non fusè: ſic demonſtratio Geometrica paucis nonnunquam verſibus comprehenditur; nec video vllum, ex iis argumentis, quibus prima ſaltem data probantur, quod mihi euidens & efficax non ſit. Si quis ea minùs probet, quamquam multi probarunt, iique magni nominis, auctores conſulat, qui alia proferunt. Nec eſt, quòd quiſquam timeat, inde nouam ſcrupulorum, vt vocant, & controuerſiarum occaſionem præberi. Cui enim? non iis, qui hæc data citra probationem admittunt, vt patet; qui cùm de iis iam certi ſint, noua adminicula non quærunt: non

iis, qui ea negant, qui ad summum in suo errore persistent; igitur nihil inde incommodi, sed aliquid commodi oriri potest. Erunt fortè, qui rem hanc fusè, ac ex professo à me tractari & explanari vellent; sed profectò huius instituti non fuit; alios auctores consulant, apud quos pleniorem tractationem inuenient, si fortè hæc cõtracta non faciat satis. Et verò si nihil vnquam, nisi ex professo, attingeretur, nullus ferè liber in publicam lucem prodiret; quàm multa enim ab aliis auctoribus obiter perstringuntur, quorum longiorem explicationem aliò remittunt: cur igitur eodem iure vti non liceat, quod aliis omnibus commune est; præser-

tim

tim cùm breuis illa rationum ſumma nonnullis ſatis arrideat. Præterea nonnulli voluiſſent, vt propoſitiones, quas in ſecundo libro expoſui, ad pauciora capita reuocarentur, cùm aliquæ ab aliis ſatis diſtingui non poſſint; ſed profectò, nullam inutilem, nullam ſuperfluam eſſe video; immò nullam non neceſſariam, cùm minimâ quapiam ſublatâ, hiatus manifeſtus appareat. Idem dico de iis rationibus, quibus decima propoſitio probata eſt, quarum quælibet ab aliis diſtincta eſt: nec obſtat, vnam in alia includi; ſic enim ſæpius accidit, vt vna propoſitio per aliam iam aliunde probatam demonſtre-

tur, quod vel ipsis Geometris satis familiare est.

Non deerunt etiam, qui hæc paulò nitidiùs & distinctiùs concipi desiderarent; sed vt dicam, quod res est, modò responsiones sufficiant quoad substantiam, eiúsque sint roboris, vt Aduersariorũ argumenta dissoluant, id satis esse videtur; quod sanè potissimum est. Hinc datâ operâ, omnia ornamenta refecta esse volui; puta styli & orationis nitorem; nec enim difficile fuisset, aliquid magis tersum ac nitidum cudere; sed rem istam polemicam nitor ille non decet. Adhibui tamen dicendi genus planum & perspicuum, non quidem fœdatum barbarie, sed calamistris mini-

mè

mè ornatum, dedíque operam, vt verba rebus, non res verbis & dictioni seruirent. Porro distinxi responsiones in suos numeros; nihil omisi, quod non diluerim, eodem ordine, quo propositum fuit. Vno verbo, effugia illa fideliter exscripsi, nec vllam aut subticui, aut dißimulaui difficultatem, sed aperto Marte congressus sum, ac ingenuè difflaui popularia illa argumenta, quibus aliquid auræ, apud indoctos præsertim, Aduersarij aucupantur.

Duo restant, quæ fortè in hoc opusculo desiderares, erudite Lector; primum est, vt Scripturæ & Patrum loca, in margine saltem citata adscriberentur: alterum, ne tam crebra esset

variarum rerum repetitio. Primum tamen fieri vix potuit; aut certè si potuit, non debuit; cùm enim hæc tractatio ex Scripturæ & Patrum locis tota ferè contexta sit, paucas duntaxat citationes intertexui, ne si omnes attexerem, reliquum opus quodammodò obrueretur, & nihil nisi citatio esset: doctis scribo, quibus citationes inutiles essent, indoctis etiam parùm vtiles sunt. Quod spectat ad alterum, si nonnulla fortè obiter repetij, id, quæso, Aduersariis imputa, qui eadem sæpe obtrudunt: & verò ausim dicere, hanc scriptionis methodum repetitionibus minùs obnoxiam esse, vt nemo non videt. Denique non video, aliquid à me

ite-

iterum adductum esse, quod ad rem non faciat, ac necessarium esse non videatur. Sed ne diutius te morer, totius operis synopsim tibi subnecto, quam vbi lustraueris, si è re tua sit, in hanc meam lucubrationem oculos & animum conuertes. Vale.





SYNOPSIS OPERIS.

LIBER PRIMVS.

CONTINET DATA.

VII. Ge-

LIBER SECVNDVS.

PROPOSITIONES EX PRÆMISSIS DATIS CONTINET.

VIII. Ec-

Hæc propositio multis rationibus probatur.

gati


LIBER TERTIVS.

CONTINET EFFVGIA, EAQVE PRÆCLVSA.

IV. Du-

cum

Eccle-




Imprimatur, si videbitur R.^{mo} Patri Magistro Sac. Palat. Apostolici.

M. A. Oddus, Episcopus Ierapolitanus *Vicesgerens*.

Imprimatur.

F. Georgius Rainoldi Magister, & R.^{mi} Patris Sac. Apost. Palat. Magistri socius, Ord. Prædicat.

PRO-



PROOEMIVM.

IN tanta sectarum & religionum (vt vocant) diaphoria, pleriq; sunt in religione adiaphori, vel indifferentes, qui cùm Deum, scilicet summum Bonum, vltimúmque Hominum finem in medio ac centro rerum collocent, perinde esse dictitant, quacunq; tandem viâ & lineâ ad centrum illud perueniatur: arcta quidem via est, quæ ad Beatam Vitam ducit, quâque itur ad Astra, illa tamen multiplex & varia; nec credibile est, inquiunt, Dei erga hominum genus amorem in eas redactum esse angustias, vt vno duntaxat ductu se se, ac suas opes in nos diffundat.

Neq; in omnibus adiaphori conueniunt; sunt enim, qui Hominem in id duntaxat, ad salutem obtinendam, incumbere volunt, vt inditum rationis lumen consulat, cuius reuerà ductu sciri potest, vnum esse orbis Conditorem ac Moderatorem Deum, summo colendum cultu, à quo boni præmiis, mali pœnis afficiendi sint; hæc ferè ab omnibus gentibus cognosci, licèt multis superstitionum inuolucris tegantur, & legum varietate varias reli-

gionum species præseferant : multa prudenter à summis quibusdam viris adinuenta esse , ad populum in officio continendum , & singulari quadam rituum consensione , nouo imperio adstringendum : huiusmodi hominum magnus hisce temporibus est numerus ; qui non Christianos modò , sed etiam Turcas, Iudæos, atque adeò ipsos Gentiles, vt vocant, in religionis societatem admittunt ; modò enim vita cum recta ratione consentiat , de ritibus, inquiunt , parùm curandum est.

Alij verò iis duntaxat vnitatem fidei concedunt, qui credunt, IESVM esse Christum ac Filium Dei , cùm id potissimùm in sacris Literis ab omnibus exigatur : alij denique, contra quos hîc ago, ne omnes hæreticos in religionis communionem cooptent , iis duntaxat dant locum , qui Symbolum Apostolicum admittunt , quo scilicet rerum credendarum summa continetur, idque in eo sensu, quem prima quatuor Concilia Oecumenica docuerunt : quo fit , vt Romani , Caluinistæ, Lutherani , ipsique adeò Græci Ecclesiam Catholicam constituant: quidquid præterea in controuersiam cadit , tanti non esse , vt ideo fidei vnitas abrumpatur.

Hæc sententia multorum est, quos propter indifferentiam illam , vel ἀδιαφορίαν *in religione , iure adiaphoros appellamus , quorum præcipui du-*

ces ,

res, vel antesignani, Cassander, De Dominis, & Georgius Calixtus extiterunt.

Sed, vt verum dicam, dum sectas inter se se conciliare, & tot in materia fidei dissidia componere pro viribus nituntur, singularem sectam constituunt, & noua excitant dissidia; cæteros in fidei societatem asciscunt, dum ipsi à vera fide discedunt: agnoscunt quidem in Ecclesia Romana res sacras optimè constitutas, & fidem intaminatam esse, prohibiti tamen variis de causis, ne deserta, quam sequuntur, parte, aliam, quam pro meliore habent, amplectantur; vt vel inde conscientiæ stimulos aliquantulum retundant, præfatam Religionum indifferentiam comminiscuntur.

Et verò ingentem horum esse numerum, in Britannia, Belgio, Germania, Gallia, quisquis dubitat, rem perspicuam ignorat: in Germania quidem, ab hæresis ortu, vix vnquam tanta fuit animorum inclinatio, atque nunc cernimus; hunc morosa coniux, illum opima prædia, istum parentum obseruantia, alium Principis indignatio, plurimos demum metus sinistræ famæ, aut alia huiusmodi deterrent: hinc, vt aliquid solatij, aut certè spei affulgeat, sibi persuadere conantur, de omnibus bene sperandum esse, modò Symbolum Apostolicum admittant; reliquas disceptationes sapientissimo

rerum moderatori Deo adeò curæ non esse, cùm ab insita hominum ingeniis prurigine proficiscantur: immò, quod caput est, pacem inter partes & concordiam moliuntur; quóque illam faciliùs consequi valeant, passim dictitant, cuncta ad amussim expendenda non esse; dandum aliquid hominum ingenio & infirmitati, & cuique parti aliquid de suo remittendum, aut sua cuilibet potiùs permittenda; veterum συγκατάβασιν mirificè laudant, eámque omnibus ad imitandum proponunt.

Hi quamuis fortasse mitiùs, longè tamen periculosiùs errant, quibus præfata religionum indifferentia valde probatur, vt vel eò promptiùs ad honores & dignitates promoueantur, vel optatæ libertatis obtentu rempublicam turbent, vel amicitias, aut fœdus cum aliter de religione sentientibus ineant: cæterùm parùm interest, quibus rationibus hanc, vel illam sententiam defendant, cùm sententiæ ferè omnes indifferentes sint; quamquam pro illa opinionum adiaphoria multas rationes ad vulgi captum accommodatas primarij eiusdem defensores excogitarunt, quibus magnatum animos sibi conciliant; præsertim cùm singularem animi moderationem, & immensæ Christi Seruatoris nostri erga hominum genus charitatis commendationem præseferant.

Sed

Sed vt ad rem veniam; fateor vltrò, eo potissimùm fine hanc prouinciam à me susceptam, & hoc opusculum scriptum fuisse, vt rationes illas refellam, & cuncta effugia præcludam, quibus instructi & muniti adiaphori Catholicorum tela & argumenta retundere solent; illa ego in certa capita distinguam, & singulis suam responsionem subnectam; nempe illa rerum distincta series gratam lucem legentibus offert, quæ scilicet eundem ordinem seruant in mente, quem in charta, in qua exaratæ sunt, ab auctoris ordinatione acceperant.

Totum opusculum in tres libros distinxi, quorum primus ea continet, quæ ab iis vltrò dantur, & conceduntur; in secundo libro, ex iis datis multa deducam, quæ ad præsentem disputationem pertinent; in tertio denique, ex priùs deductis ac demonstratis, aduersariorum effugia facilè præcludam. Porro licèt ea, vt data assumam, quæ ab ipsis dantur, ea tamen breuiter exponam, & firmis, quantumuis breuibus, argumentis euincam, rationi prorsus danda esse; in secundo verò libro, licèt multa deducenda sint ex iis, quæ in primo supponuntur & præmittuntur, id tamen præsertim enitar, vt vel hoc vnum demonstrem, in Ecclesia scilicet Romana homines saluari duntaxat posse;

& cùm ſit præcipuum operis caput, multis illud rationibus proſequar.


Faxit Deus, vt hæc opera noſtra ad rem Catholicam, diuinúmque cultum promouendum nonnibil conferre poſsit, ac euentus meis multorúmque votis reſpondeat: hoc vnum atteſtor, me non alio, quàm veritatis ſtudio teneri, & æternæ fœlicitatis, in qua tum mibi tum aliis procuranda, cum ſanguine vitam haud ægrè profunderem; igitur non odio, ſed charitate inſtructus; non aculeis, ſed argumentis accedo; errores, non errantes peto & configo; effugia præcludo, vt in viam ſalutis errones illi deflectant; vnam monſtro viam, quam niſi homines ineant, ſaluari profectò non poſſunt.



LIBER



LIBER I.



N hoc primo Libro ea iacimus fundamenta, quibus tota huius operis moles innititur; in iis sanè multùm diúque desudandum non esset, cùm ab ipsis adiaphoris admittantur, vt patet ex illorum effugiis, quæ *Lib.3.* refellam; immò, licèt ab ipsis nonnulla ex iis non darentur, præsertim vltimo loco posita, nec enim de primis dubium cuiquam esse potest, ea satis firmis ac validis rationibus instructa & munita præmitto: vt tamen aliis etiam, qui secus sentiunt, fiat satis, quodlibet Datum ita supponam, vt suis quoque rationum momentis & præsidiis firmatum maneat; quod licèt ex professo, vt aiunt, non præstem, cùm præsentis instituti non sit, nihil tamen omittam, quod ad perspicuam huiusmodi Datorum veritatem pertineat, quam reuerà eo loco, & situ, vultúque statuam, vt ab omnibus, nisi sponte sibi oculos mentis eruant, facilè videri & agnosci queat; vt autem nihil quod necessarium sit omittere, ita nihil quod superfluum esse videatur, adducere decreui: sed omissa longiore præfatione, ad rem venio.

DATVM PRIMVM.

Deus est.

I. DEVM existere, non homines modò, sed brutæ animantes, résque omnes creatæ, quæ sensibus nostris subiiciuntur, mutæ licèt, innumeris tamen vocibus prædicant; & si homines tacuerint, lapides ipsi clamabunt; nulla natio, nulla gens quantumuis ferina barbarie à recto rationis vsu deflectens, Deum ignorat, sed supplici adoratione veretur, in prosperis laudat, in periculis aduersísque, illius opem implorat; hinc homo erectos tollit ad sidera vultus; & natiuo quodam instinctu, in Deum, licèt ignotum, fertur, eúmque videre, nec non eius consuetudine frui appetit; quid plura, licèt impius in corde suo, nullum esse Deum, id est, nullum esse suorum criminum vindicem & punitorem percupiat, vox enim cordis desiderium est; mens tamen sibi persuadere non potest, quod ipsi cordi in votis esset; & probè scit, eum esse, quem timet, quamuis eumdem existére nollet: hoc dant vltrò adiaphori; nec enim prò atheis se gerunt, id tamen quantum nostri huius instituti ratio postulat, aut sanè permittit, breuiter demonstro.

II. Primo loco demonstrationem illam adduco, quæ licèt communis esse videatur, nullũ tamen dubio locum relinquit, modò rectè & citra verborum ambiguitatem exponatur: quidquid enim existit, vel existit per se essentialiter, vt aiunt, atq; adeò necessa-

riò

riò, nec ab vlla causa procedit; vel contingenter, & ab alio ortum ducit; si quid porro per se necessariò est, Deus est, vt patet ex terminis; cùm Diuini esse ratio in eo posita sit, quòd sit ens necessariò ac essentialiter existens; si verò contingenter est, ab alio est; igitur præter id, quod ab alio est, illud quoque existit, quod à se ac per se, non ab alio est, voco Deum: nec valet futilis illa distinctio, qua nonnulli præfati argumenti rem eludere conantur; quòd scilicet à sensu distributiuo, vt vocant, ad collectiuum consequentia nulla sit; vnde omnes creaturas esse ab alio distributiuè vltrò concedunt; esse ab alio collectiuè, negant: hæc inquam distinctio futilis est; nam vt rectè in analytica obseruaui, quotiescumque aliquod prædicatum vtriusque sensus patiens est, & inter vtrumque, sub eo prædicato, necessaria connexio est; haud dubiè, ex vno sensu, alius rectè concluditur; nempe consequentiæ vis necessariam illam connexionem supponit: atqui fieri non potest, vt multa sint ab alio distributiuè, aut sigillatim, nisi etiam collectiuè, aut coniunctim ab alio sint; igitur cùm res omnes creatæ ab alio sint sigillatim, easdem ab alio esse coniunctim, necesse est.

III. Aliud argumentum est, quod licèt nouum sit, mihi tamen Geometrica certitudine pollere videtur, illud autem in hunc modum compono; quòd ego existam, mihi euidens est; dum enim aliquod principium Geometricum mente complector, mihi euidens est, illud à me cognosci; igitur, quod idem

est, me cognoscere; igitur & existere; igitur est mihi euidens, quòd existam nunc, ídque contingenter, quia nec semper, nec vbique existo; igitur possum nõ existere; igitur contingenter existo; igitur, quod idem est, ab aliò; igitur mihi euidens est, esse illud aliud, à quo existo; voco Deum: nempe quælibet res creata intelligendi facultate pollens, idem ratiocinium adhibere potest; igitur præter multitudinem rerum illarum, quæ præ cæteris intelligentiam animo concipiunt, quæque superiorem agnoscunt, eâdem intelligendi facultate præditam, hanc ipsam, quæ per se ipsam, non ab alia sit, existere, necesse est, atque adeò vnicam & singularem, vt infrà ostendam.

IV. Quisquis infinitum actu, vt vocant, creatum scilicet, negat, vel inde concludit, Deum existere; nec enim generationum series in infinitum ducitur; nec mundus ab æterno conditus est; igitur ad aliquod primum principium peruenitur, à quo mundus creatus sit; quòd autem infinitum actu dari non possit, puto à me demonstratum fuisse in Metaphysica, quod hîc duntaxat indico. Aliud argumentum, quod à suprema perfectionis regula ducitur, optimum est; cùm enim dato quolibet finita perfectione prædito, dari aliquid possit perfectius; hoc certè perfectione infinita & omnimoda instructum esse oportet; alioquin, si finita, quolibet finito maius esse non posset, contra suppositionem, quæ reuerà per se nota est; si enim finitum est, maius esse potest, atque adeò perfectius; igitur dato quolibet

bet perfecto finito aliud perfectius dari potest; igitur extra finitorum multitudinem, aliud esse necesse est, quod infinita perfectione polleat, voco Deum.

V. In Physica nihil ferè est, quod Dei existentiam non probet: impetum admittendum esse, tract. de motu locali, lib. 1. demonstraui; ille autem impressus mobili diu permanet; igitur ab aliqua causa conseruatur; non ab ea, à qua ortum duxit, quę cùm sit à mobili disiuncta, nihil amplius in ipsum deriuat; non ab aëre ambiente, qui cùm motui resistat, impetum destruit potiùs, quàm seruat; igitur ab alia vbique locorum præsente; voco Deum. Deinde cùm impetus destruatur, ne frustra sit, hoc enim commune est destructionum naturalium principium, illum certè supremum naturæ legislatorem esse oportet, à quo illud naturæ decretum profectum sit; & quod re ipsa destruat, hoc est, seruare desinat: præterea cùm impetus mobili impressus motum exigat, id est, nouum locum, nouam vbicationem, vel nouam actionem; igitur ab aliquo exigit, quod probè sciat, rerum omnium appetitum atque indolem, vt iis scilicet faciat satis; igitur ab eo omne mobile dependet; voco Deum. Denique in motu accelerato & retardato debet esse aliquid, quod varias vbicationum & durationum, vel actionum classes componat: hæc breuiter indico, quæ tamen ex meis principiis metaphysicis necessariò consequuntur.

VI. Addo alia multa. 1. Nihil est quod determinare possit effectus physicos quoad indiuiduum,

vt vocant, præter causam primam; vt enim hunc impetum calamò imprimo, dum hæc scribo, ita certè alium penitus similem indere possem; cur non hunc, sed illum; nec enim hæc optio in mea potestate posita est. 2. Motus elementares, grauium scilicet & leuium, item compressorum & tensorum, item cælestes & magnetici eò spectant, vt illorum operâ, aliquis finis obtineatur; igitur ad eum finem ab aliqua causa destinantur, quod reuerà vni causæ primæ competit. 3. Prima corporum moles, quantitas, extensio, varia quippe est corporum densitas, ab aliqua causa definita est, vt scilicet tantæ perfectionis esset, non verò maioris, aut minoris; est enim prima regula. 4. Prima plantarum & animalium rudimenta & primigenia semina primum reuerà opificem supponunt. 5. Animæ rationalis creatio, eiusdem cum corpore arctissima coniunctio, summum illum Parentem agnoscit: sed quid in his hæreo; nam dicere ausim, nullum prorsus effectum physicum esse, qui Deum existere non persuadeat.

VII. Itaque quòd Deus sit, quisquis rerum naturam meditatur, nescire non potest; si autem est, vnus est; quia perfectissimus est; si enim perfectissimus non est, aliqua perfectione caret; igitur suprema regula perfectionis non est; & dari aliquid perfectius potest; vtrumque diuinæ naturæ aduersatur; nam si habet perfectionem limitatam, igitur ab aliquo determinatam; non à se; si enim suam perfectionem determinat, maxima & infinita est; cur enim vna finita, potiùs quàm alia;

alia; vnica verò infinita est; igitur determinata; igitur ab alio, scilicet à causa; nempe causa, quæ producit effectum, eius perfectionem determinat, quia determinat eius esse; sed Deus à se est, non verò à causa. Deinde cur potiùs hanc, quàm aliam; cur tot gradus, non plures, si à nullo terminetur: igitur vel totam habet, vel nullam; quòd nullam habeat, dici non potest; ergo totam habet, & in omni genere: v. g. si consideremus perfectionem durationis, de Deo dici non potest, quòd aliquo illius gradu careat; v. g. quòd sit nunc, non antè; per quid enim determinatus esset, vt nunc, non verò antè esset; hîc potiùs, quàm illic; vnum potiùs quàm aliud posset, aut sciret; igitur cùm omnis perfectio limitata ab aliquo limitetur, vel quod idem est, determinetur, & cùm Deus à nullo sit, certè vt à nullo suum esse accipit, ita à nullo illius esse determinatur; igitur nec eius perfectio; igitur perfectissimus est, & nulla caret perfectione.

VIII. Hoc posito, vnum esse constat; quia si duo essent, quilibet careret perfectione alterius; & duo simul maiorem perfectionis cumulum continerent, quàm quilibet eorum seorsim; nec enim vnus duobus æquiualet: prætereà si vnus non est, infiniti sunt; cùm enim à nulla causa determinentur, cur duo potiùs, quàm tres, aut quatuor essent: infiniti autem esse non possunt: quia infinitum dari non potest, saltem in numero, vt suo loco demonstrauimus; igitur omnium perfectio coniunctim, perfectionem singulorum seorsim infinitè superat, igitur

hæc

hæc ab illa infinitè distat; ergo finita est; contra suppositionem. Itaque & Deus est, & vnus est; pari modo omnia eius attributa demonstrantur; v.g. æternus est; si enim aliquando non esset, per se ipsum non esset; immensus, immobilis, immortalis, infinitus, substantia, viuens, intelligens, summum bonum; sed frustra in his hæreo, quæ non modò ab iis, quibuscum agimus, vltrò dantur, verùm etiam ab aliis, quos in fidei societatem adiaphori nullatenus admittunt.

DATVM SECVNDVM.

Deus est Conditor & Moderator orbis, à quo Iusti Præmia, Rei verò Pœnas expectare debent.

1. VNiuersitatis corpus à se ipso non esse, perspicuum est; eiúsque conditorem ac creatorem Deum, nō adiaphori modò, verùm etiam cuiusuis religionis aut superstitionis homines agnoscunt: & verò cùm solus Deus per se ipsum sit, quidquid Deus non est, à se ipso esse non potest; in hoc sublunaris mundi tractu, elementorū compagem in mixtis; singularem eorundem plexum in plantis & brutis animantibus habemus; hominum genus principem locum tenet, cui reliqua seruiunt; cuncta hæc ab illo supremo auctore ortum ducunt; de globis cælestibus idem prorsus censendum est, cùm à semetipsis esse nequeant: licèt enim Epicurei ex atomorū casu quopiam coëuntium plexu, mun-

dum

dum vniuersum coaluisse existiment, quod quàm sit ab omni ratione alienum, nemo non videt, hoc tamen non facit, quin vltrò fateantur, prædictas atomos Deos non esse, sed ab aliquo principio, quamquam ab æterno, vt ipsi aiunt, ortum duxisse; quod reuerà qui neget, neminem esse puto, modò vel ipsos terminos mente capiat.

II. Quòd Deus conditum à se mundum suâ sapientiâ moderetur ac regat, vel per seipsum, vel adhibitâ Angelorum operâ, aduersarij vltrò concedunt; nisi enim res à se conditas deinde conseruet, in primum nihilum reducuntur; nisi cum causis secundis, vt vocant, in eosdem effectus concurrat, nihil prorsus ab iis effici potest; cùm effectus illi aliarum rerum creatarum conditionis participes sint, qua scilicet à Deo dependent; nisi demum institutum initio ordinem sapientissimus moderator conseruaret, iam dudum omnia tumultuario excidio periissent: hinc Deus omnia in omnibus operatur; omnes in ipso viuimus, mouemur, & sumus; rem quamlibet ad suum finem dirigit, iisque rebus instruit, quæ ad obtinendum finem necessaria sunt; hîc cum otiosis otiatur, illic agit cum operosis; hinc creat, illinc destruit; omnium denique innato appetitui (exigentiam Scholastici, non Latini vocant) acquiescit.

III. Nec est, quòd aliquis rem indignam Deo esse putet, mundum regere, & res quantumuis infimas curare; quisquis ita sentit, cum bona venia dixerim, rem hanc non capit; quasi verò quidquam

sine

sine Dei concursu fieri possit, & Deus incautus vnquam, vel imprudens concurrat; nunquam agit Deus sine fine sibi proposito; vt diuinam Potentiam voluntas dirigit atque applicat, ità voluntati sapientissimus intellectus prælucet; igitur nihil vnquam Dei manus exequitur, quod diuina mens præmeditata non fuerit; hæc illa est Dei prouidentia, qua regitur orbis, cùm nec inscio Deo quidquam fiat, neque nolente, aut saltem non permittente; hinc singula refert ad eum finem, cui destinantur; hinc cùm nihil non sciat, illos modos, illas rationes adhibet, quibus suum semper finem consequatur. Sed frustra hîc pugno, vbi nullus aduersarius obsistit.

IV. Quòd Deus Homines pro rectè factis præmio afficiat, & pro turpiter gestis puniat, omnium ferè populorum ac gentium memoriâ tenemus; in id omnes communi quadam notione consentiunt; hinc conscientiæ stimulis agimur, dum aliquid facimus, quod cum recta ratione minimè consentiat: contrà verò, post rem bene gestam, singulari voluptatis sensu perfundimur: nec est, quòd aliquis existimet, hæc à parentibus, vel magistris doceri, & communes esse notiones, non naturâ quidem, sed ipso vsu, & prima quasi educatione comparatas; nam in iis, quæ per se mala sunt & turpia, secus accidit, licèt enim aliunde non didicerimus, eorum tamen nos pudet, & lucem fugimus, dum hæc agimus; atque erubescimus, si quis in flagranti delicto nos deprehendat.

V. Itaque cùm homines rectè aut turpiter agere possint,

possint, ac rectè agere teneantur, ab illo supremò rerum moderatore in officio contineri debent; lex naturæ suum Iudicem postulat, qui eius consulat integritati, & obseruationi inuigilet; si enim lex est, reuerà obstringit, & obligationem affert; omnis autem obligatio creditorem supponit & exactorem; & si fortè negligatur, Iudicem. Præterea cùm rectè facta laude ac præmio digna sint, & malè gesta pœnis; is haud dubiè esse debet, qui singulos pro meritis excipiat; porro hic ex hominum genere esse non potest; multi enim sunt, qui aliis hominibus minimè subiiciuntur; denique eum esse oportet Iudicem, qui causas omnes apprimè teneat; atqui cùm nostrarum actionum honestas aut turpitudo ab animo potissimùm, & interiore voluntatis motu deriuetur, quis hæc amabò, præter Deum, qui corda & renes scrutatur, consequi & attingere possit?

VI. Denique cùm inter cætera, quæ Deo competunt attributa, & diuinas proprietates, Iustitia vltimo loco non sit, eius partes sunt, dignam rectè factis mercedem, & meritas criminibus pœnas reponere; frustra enim Deus iustus esset, nisi hoc Iustitiæ specimen edat; frustra hunc supremum vindicem appellarent, quotquot à potentioribus iniquè ac per vim oppressi, aliud inter homines tribunal non habent, ad quod ipsi confugere valeant; hoc sibi Deus munus assumit, hanc prouinciam suscipit, vt Sanctorum & amicorum suorum sanguinem iniustè fusum vindicet. Nec fieri potest, vt Deus, qui infinitâ pollet iustitiâ, crimen impunè relinquat,

aut rem præclarè gestam sine debita laude ac mercede esse permittat: igitur esset, quod multi conqueri possent, & sanctis naturæ legibus minùs consultum esset, nisi eiusdem naturæ auctor illarum indemnitati, reorum pœnâ, bonorúmque remuneratione, consuluisset: sed hæc pressiùs inculcanda non sunt, cùm aduersarij minimè refragentur.

DATVM TERTIVM.

Homo liber est ad bene aut malè agendum, & anima illius immortalis.

I. QVisquis hominum, libertatis expertem & mentis impotem hominem facit, inter brutas animantes eum collocat, ac proinde de hominum genere malè meritus, ab eorum societate segregandus esset, & ad molam amandandus, vt eidem cum iumentis operæ vacaret, qui se iumentum esse vltrò fatetur: vt homines impunè peccare videantur, se ad non peccandum, liberos non esse dictitant; quamquam id liberè dicunt; dicunt, inquam, nam quòd ita sentiant, adduci non possum, vt credam; quis enim est, qui se oculis captum esse dicat, dum ista liberis oculis lustrat? quis, dum ipse aliquid sensu percipit, se omni sensu orbatum esse queratur? nisi fortè mente captus sit: igitur tam percipio, me liberum esse, quàm me sentire, libertatis vsus æquè ac sensuum perspicuus est; vterque æquè mihi notus est, & tam scio, me liberè agere, dum liberè ago, quàm sentire, dum sentio.

II. Ne-

II. Negabis fortè, in mea potestate esse hæc scribere; sed reuerà hæc minimè scriberem, nisi scribendi facultate pollerem; aut certè dum scribo, si negas me posse non scribere, illico sustineo calamũ; & dũ reuerà non scribo, me posse non scribere, luculenter demonstro; quod nisi euidens & manifestũ sit, quid euidens esse possit, nescio. Hinc qui vel somno, vel ebrietate, vel delirio tenentur, si quid, quod cum recta ratione minùs consentiat, admittãt; vel inde se volunt excusatos, quòd tunc temporis liberi non essent; eundem libertatis defectum excusare solent, qui per inaduertentiam, vel subitaneũ alicuius perturbationis motum delinquunt: quid plura, ita à naturâ comparati sumus, vt liberas actiones nostras à necessariis, & per vim extortis probè distinguamus, & pectus nostrum patratorum scelerum conscium sit. Equidem aliquando accidit, vt conscientia callum obducat, & ab immenso criminum pondere obruatur; non tamen omnem penitus sensum ac timorẽ excutit: & quamuis improbi dicant, se animi conscientiam minimè curare, nec vllum pondus, neq; vim vllam, nec angorem pati: iis sanè nulla fides habenda est; hoc quidem simulant vultu, sed reuerà cordis fibræ palpitant, & magno cruciatu torquentur. Et verò, vt rectè monet Latinæ Eloquentiæ Princeps, graue esset conscientiæ pondus sine vlla virtutis & vitiorum diuina ratione; itaque si conscientia est, aliquam virtutis & vitij rationem esse necesse est; nisi autem insit, rectè aut malè

agendi libera facultas, nihil profectò est, quod laudi, aut vitio verti queat.

III. Sed vis ipsa humani ratiocinij, homini libertatem adstruit; quod reuerà ex Principiis physicis luculenter deducimus; nempe in eo ratiocinium positum est, quòd aliquid distinctè innotescat, quod priùs confusè & indistinctè cognoscebatur; quod vel ipsos Tyrones minimè latet, qui vix analysim Logicam primoribus labris delibarunt, v. g. Huic propositioni, *Sol lucet*, hæc altera est consequens, *dies ergo est*; & istud antecedens, *homo est animal*, consequitur hæc conclusio, *Petrus ergo est animal*; ex quibus sanè videre est, consequens in antecedente includi, vt aiunt, & contineri; igitur attingi & cognosci, sed confusè, vt dixi; nempe si cognosco solem lucere, cognosco diem esse; si cognosco, hominem esse animal, cognosco, Petrum esse animal, sed confusè, quod deinde expressè & electè in conclusione deduco. Igitur ratiocinandi potentia eam vim supponit, quâ quis aliquid distinctè cognoscere possit ex eodem confusè cognito; igitur & illam quoque vim, quâ sese ad id determinare queat; quâ vnum præ cæteris eligat, cùm in eodem antecedente multa confusè attingantur; si enim vnum duntaxat esset, distinctum reuerà esset; igitur vbi ratiocinium est, ibi libertas est; & vicissim, vbi libertas, scilicet inter homines, ibi ratiocinium: hinc vbi quis à recto ratiocinio deflectit, hunc suî compotem esse negamus; igitur humani ratiocinij radix libertas est, & vt hominem ratiocinari perspi-

ſpicuum, ita liberum eſſe, manifeſtum eſt.

IV. Inde autem animam hominis immortalem eſſe deduco; nec eſt, quòd mirum cuiquam accidat, libertatem à me adſtructam eſſe, antequam animæ im̃ortalitatem adſtruerem; nempe niſi ſupponatur eſſe libertas, nullum ſanè mihi argumentum eſſe videtur, quod prædictam immortalitatem efficaciter euincat: equidem ex eo, quòd ſit incorporea, immortalem animam eſſe rectè concludis; ſed quo tandem argumento incorpoream eſſe probabis? an fortè quia mente ac cogitatione, incorporea comprehendit? quænam porro? Deum, inquies, Angelos, ipſum ens incorporeũ; ſed quo tandem modo hæc percipis? an fortè per propria ſimulacra, vel aliena? cogitas Angelum, an ſub ſpecie ac forma hominis? cogito, inquies, ſubſtantiam ſpiritualem; quid rei tibi fingis, cùm ſubſtantiam ſpiritualem concipis? nunquid ad inſtar corporeæ, cui aliquot proprietates detrahis; pondus ſcilicet impenetrabilis, & diuiduæ rationem? ſic nigrum ideo fortè videmus, quia minùs album. Sed hæc mittamus; animæ immortalitas non adeò leuis momenti eſt, vt tam incertis & creperis fundamentis firmanda & fulcienda ſit.

V. Nonnemo fortè diceret, per ſenſum quidem à nobis cognoſci de rebus, quòd ſint; propter quid verò ſint, capere ſenſus non poteſt; nam ſublimioris intelligentiæ res eſt; fateor vltrò, nec vllus, opinor, inficias ibit; ſed quæſo te, quonam pacto de re aliqua cognoſcis, propter quid ſit, hoc eſt, ratiocinij ac demonſtrationis operâ illam ad ſuas cauſas reducis?



cis? An fortè quisquam id præstare queat, qui ratiocinandi facultate non polleat? minimè verò; nullus autem est ratiocinij vsus, nisi libertatis opera accedat; igitur vix ac ne vix quidem animam hominis immortalem esse ostendas, nisi eam ratiocinandi facultate pollere persuadeas; quod facilè obtinebis, si vel vnum theorema geometricum demonstres; nempe quod demonstro, mihi euidens est; igitur & euidens à me demonstrari; igitur euidens me ratiocinari, cùm demonstratio perfectum ratiocinij genus sit; sed nullum est ratiocinium, nisi cum libertate coniunctum. Igitur vt ostenderem, animam hominis immortalem esse, eidem priùs libertas adstruenda fuit; quod reuerà fit, tum quia per se ipsum quisque id probat, ac perspicuè, dum liberè agit, se liberum esse percipit; tum quia ratiocinij vsu euidenter cognoscit, se ratiocinari; ac proinde liberum esse; cùm nullum ratiocinium absque libertate esse queat, vt suprà breuiter quidem, luculenter tamen ostensum est.

VI. Itaque ex eo, quòd homo liber sit, animam immortalem esse, rectè deduco; scilicet esse aliquod principium prædicta vi discretionis & electionis præditum; principium, inquam, multarum operationum, quæ à sensu minimè procedunt; nec enim sensus confusè aliquod obiectum percipiens, ea facultate pollet, qua sese, citra aliam affectionem impressam, determinare valeat, ad illud ipsum distinctè sentiendum; longè sanè maximum commodum esset, & probè consultum iis, qui vel oculorum, vel

aurium,

aurium, vel cuiuslibet sensus vitio laborant: sed de his fusè suo loco à nobis actum est. Adde, quòd ij, qui vel somno vel delirio, vel ebrietate correpti sunt, æquè ac alij liberè agerent; cùm reuerà æquè sentiāt, igitur prædicta facultas, quâ sese homo determinat, circa varia sensu percepta, vel circa idem, quâ, inquam, positis omnibus ad agendum requisitis, vt aiunt, in sua potestate positum habet, agere, vel non agere; velle, aut nolle; prosequi, vel pedem referre; ad sensum minimè pertinet, qui circa affectionem impressam agere duntaxat potest; (quid enim aliud est sentire?) igitur aliud principium esse necesse est, quod prædicta facultate polleat, quæ licèt supponat ea, quæ sensu percipiuntur, eius tamen vsus vel actio, sensus non est; nempe eligere alterum ex propositis, ídque ad libitum, ita vt ex prædicta electione sequatur talis motus, ad quem sensus non determinat, sed potiùs ad oppositum, reuerà sentire non est, nec à sensu agi, nec operatio organica est; nam omnis operatio organica vel est sensus, vel motus appetitûs ab ipso sensu ortum ducens; igitur alterius principij, intelligendi facultate pollentis; quis enim eligat, velit, ac sese ad id determinet, quod ipsemet ignorat? igitur datur aliquod principium operationis inorganicæ; igitur incorporeum; nempe corporeum & organicum in homine idem sunt; igitur quod sine organo agere possit; quis enim demonstret, non posse, cùm inorganicum esse constet? Nec obstat, quòd aliquam organicam actionem supponat, quamdiu scilicet cum organo con-

iunctum est; quia in hoc statu, à sensu duntaxat ea, quæ cognoscit, accipit; hinc vulgò aiunt, nihil esse in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu; atque adeò intelligentem speculari phantasmata.

VII. Sed hæc profectò alium locum, & longiorem disputationem postulant, quę huius nostri instituti non est; sit satis, breuiter ostendisse, in homine, præter sensum, dari aliud principium inorganicum & incorporeum, ac proinde corruptioni nullatenus obnoxium, sed incorruptibile & immortale; nempe cùm etiam seorsim ab organo seiunctum otiosum non sit, sed operetur; eius enim actio organica non est, alioquin organicum esset; reuerà frustra non est: igitur est, quod à Deo conseruetur, nec quidquam à Deo eius destructionem exigit, vt patet. Multa autem quisque in se obseruat, quæ prædictas actiones inorganicas euincunt: quidquid enim liberè agimus, ab aliqua determinatione & electione, quæ reuerà circa organum non est, ortum ducit; sic dum motus appetitûs compescimus, & continemus, per oppositos scilicet motus; hi reuerà motus ab alio, quàm sensu, principio procedunt, nec enim sensus secum ipse pugnat; & licèt hi quoque motus oppositi aliquem sensûs vsum supponant, is tamen cùm nec ab obiecto sit, vt patet, nec à sensu ipso, qui se ipsum non determinat, ab alio, eóque coniuncto principio procedit: sic in omni ratiocinio idem principium, prædicta facultate pollens, agnoscimus, quâ vnum aliquid distinctè cognoscimus, ex eodem confusè cognito, hoc est, quâ

sese

ſeſe principium illud determinet, ad diſtinctè cognoſcendum id, quod iam confusè cognoſcit: ſed in his nimius ſum, præſertim cùm pro dignitate hoc loco diſcuti nõ poſſit, & ab aduerſariis vltrò dentur.

DATVM QVARTVM.

Deus eſt ſummo cultu colendus, amandus, timendus, eius legibus parendum, & quidquid poſt mortem nos manet, ab eo expectandum.

I. QVòd Deus ſummo cultu dignus ſit, perſpicuum eſt; ſummus enim cultus ad ſummam dignitatem, præſtantiam, excellentiam pertinet; hæc autem ſumma in Deo eſt, quia infinita; rationi verò conſentaneum eſt, eum ſupremo rerum omnium Conditori ac Moderatori cultum ab hominibus deferri, ac exhiberi, quo ipſe dignus eſt, quémque ideo à nobis ſuprema illius dignitas exigit; ſi autem dignus eſt, eum reuerà cultum denegare nequimus, ſine graui delicto, munere ſcilicet noſtro minimè perfuncti; ad id enim præſtandum tenemur, quod innato rationis lumine ac ductu, faciendum eſſe cognoſcimus; igitur nullum dubium eſt, quin Deus ſummo illo cultu colendus ſit.

II. Porro ille cultus id omne complectitur, quod aliquatenus conducit ad exhibendam noſtram erga Deum obſeruantiam, ſubiectionem, obedientiam,

fidem, pietatem, amoris, nec non timoris affectum; item ad atteſtandum, Deum ſummo illo cultu dignum eſſe, propter infinitam illam, quâ pollet, excellentiam ac dignitatem, pro cuius honore, vitam cum ſanguine profundamus; hinc ad id ſignificandum, illa omnia exhibemus honoris, laudis, gratulationis, adorationis officia & obſequia, quæ ad hunc finem obtinendum apta vel idonea eſſe cognoſcimus: igitur vt hæc Deo accepta ſunt, quia cùm Deus de ſua præſtantia & excelſitate gaudeat, haud dubiè de cultu illo non gaudere nequit, qui ad illam ſpectat; ita hæc eadem exhibenda Deo & deferenda ſunt, quia debita.

III. Quòd Deus ſummo amore dignus ſit, omnes ſciunt; quia ſummus amor ad ſummam bonitatem ſpectat; immò amari dulciſſimum eſt, quo natura ratione prædita mirificè gaudet; laudibus etiam eum proſequi debemus, à quo res omnes præclarè geſtæ ſunt; nihil enim facit, quod ſummis laudibus dignum non ſit; cùm verò iuſtus ſit, quis eum iure non timeat, ſupremum ſcilicet humanarum actionum Iudicem & criminum punitorem? quis enim aliquid, vel leue etiam admittat, indignum præſente Deo? quis natiuæ fragilitatis conſcius delinquere non timeat, ac proinde diuini vindicis iram aſperare, cui ſcilicet incumbit, vt rectè facta præmiis, ita pœnis delicta proſequi?

IV. Hinc ſi Deus Leges ferat, iis omnino parendum eſt; ſi quid vetet, fugiendum; ſi quid iubeat, exequendum; ſi beneficia conferat, agendæ gra-

tiæ; si quid inferat pœnæ, æquanimiter tolerandum; si re quapiam indigemus, ab eo summis precibus flagitanda; si annuat, gratulandum; si renuat, acquiescendum est; & si quid à nobis admittatur, quod cum recta ratione non consentiat, quod vel proximo graue, vel Deo ingratum sit, venia exoranda, culpa lacrymis eluenda est. Cuncta hæc vt à nemine in dubium reuocantur, ita ab aduersariis vltrò dantur; à nemine, inquam, si fortè nonnullos excipias Epicuri de grege, qui humana diis cordi & curæ esse negant; sed cum huiusmodi hominibus, qui ratione relicta, sensum duntaxat consulunt, rationibus & argumentis agendum non est; alium postulant agendi modum, qui brutis animantibus, non hominibus ratione præditis competat; quamquam si eo, quo par est, modo sensum ipsum consulerent, hoc etiam duce, ad rationis arcem facilè peruenirent: sed hos mittamus.

V. Si quid demum post mortem nos manet, ab ipso Deo expectandum est: quòd post mortem aliquid nos maneat, cùm anima rationalis immortalis sit, certo certius est; quòd illud à Deo duntaxat expectandum sit, etiam perspicuum est; à quo enim, nisi ab eo, qui probè cognoscit & iudicat, quid cuique rependendum sit; hinc spes nostra in Deo ponenda est, & quidquid post vitam speramus, ab eo precibus exposcendum; placandúmque Numen scelere violatum; cuncta hæc, quisquis Deum existere nō negat, ac sibi animam immortalem inditam esse, vel ipso sensu percipit, haud inuitus admittit.

DATVM

DATVM QVINTVM.

Ille cultus à Deo præscribi hominibus debuit, & Leges ab eodem promulgari.

I. NVdi hominis ortus multarum rerum, quæ ad diuinum cultum pertinent, ignarum illum relinquit; hinc tot erroribus obnoxius est, tot superstitionibus addictus, tot ritibus ac religionum formis varius; itaque cùm aliquis religionis cultus inter homines esse deberet (Deum enim summo cultu colendum esse, iam constat) & cùm propter hominum ignorantiam, religioni parum consultum esset, Dei fuit, illum modum præscribere, quem teneri vellet; eam religionis formam indicere, quæ magis grata esset; illam fidei rationem docere, quam omnes amplecti deberent; quod reuerà nisi factum fuisset, religioni, vt dixi, malè consultum esset, in qua nihil certum, nihilque indubitatum homines haberent.

II. Neque hoc aduersarij negant, quod cum recta ratione ita consentit, vt ij de Deo malè sentiant, qui rerum humanarum ignarum & incuriosum esse volunt; quasi verò quidquam Deo magis cordi esse debeat, quàm augusta religionis res, quæ diuinum honorem promouet, Dei laudes celebrat, Deúmque mundo manifestum facit. Præstereà cùm Deus homines ad rectè viuendum creârit, quidni eos rectæ vitæ institutum doceat, viámque vel leui saltem digito monstret, quâ ad finem illum, ad quem destinan-

stinantur, perueniant? Deus brutis animantibus eos instinctus indiderit, quibus ducuntur, ad ea commoda sibi procuranda, quæ salus illarum & conseruatio postulant; hominem verò ratione præditum, imparatum, ac rerum illarum imperitum reliquerit? quæ illi adeò necessariæ sunt, vt finem suum obtineat; quis hoc dicat? quis hoc credat?

III. Deus orbi à se condito eam curam negare non debuit, quam Paterfamilias Domui à se institutæ, Princeps subiugato Regno, constructæ ciuitati Dynasta quilibet impertiretur: nulla enim sine legibus hominum communitas, nulla societas stare potest; ea quippe est hominum, ad malè agendum procliuitas, vt sæpe ac sæpius delinquant, nisi legibus contineantur; esset, quod ab æterna illa sapientia nonnihil conditus homo desideraret, si finem quidem illum, ad quem creatus est, vel leui digito monstraret, viam tamen, quâ ad eum finem perueniri potest, minimè indicaret: quasi verò à nobis aliquid exigat, quod nobis compertum non sit; aliquid expectet, cuius certiores non fecerit; multa imperet, & nulla præcepta extent. De Deo meliora sentienda sunt; nec in ipso ferendum, quod in Homine, mediocri sapientia instructo, tolerandum non esset.

IV. Eius profectò est, naturam hominum iis omnibus instruere, sine quibus destinatum illi finem assequi non possunt: creauit hominem Deus; quidni eundem dirigat? rationis lumine instruxit; quidni eorum, quæ ratio postulat, eidem copiam faciat?

faciat? Portum salutis eminus ostendit; quidni viam aperiat? ab eo religiosè coli vult; quidni sacri cultûs modum doceat? vt rectè viuat, ab eo exigit; quidni saltem rationem illam indicet, in qua recta vita posita sit? denique imperat, ne quid admittat, quod diuinæ voluntati aduersetur; quidni ergo Leges illas condat atque promulget, quibus standum est, eáque significet, quæ à diuinæ voluntatis amantibus desiderat?

V. Saluti hominum diuina bonitas consuluit, quæ Hominem saluari voluit; rationis primùm lumine donauit, vt bonum à malo discernerent; tum verò quia sæpe ratio caligat, & à sensu in errorem inducitur, & multa sunt, in quibus perplexi & dubij homines extitissent; illa vitæ ratio nobis ab eo præscripta est, ille religionis cultus institutus, leges illæ latæ & promulgatæ; illa demum omnia liberaliter ab eo concessa, quæ ad nostrum finem obtinendum necessaria esse videbantur; neque per illum stat, quò minùs finem illum assequamur, quo si fortè excidimus, nostræ id malitiæ, non illius incuriæ tribuendum est. Ille igitur cultus, ille religionis modus, illa vitæ ratio, Leges illæ ac Præcepta nobis à Deo præscripta sunt, quæ à nobis seruari par est, si morem Deo gerere, ac proinde saluari velimus.

DATVM

DATVM SEXTVM.

Deus Hominem ad finem supernaturalem, æternam scilicet Beatitudinem, creauit.

I. TAm sublimem & excelsum finem Deus nobis obtinendum proposuit, vt cùm nostris viribus eum assequi nequeamus, inde finem illum supernaturalem meritò vocemus; ea quippe est æterna beatitudo, quam certa Dei possessio coronat, & immensæ voluptatis torrens perfundit, vt in facultate nostra positum non sit, eam, nostris scilicet viribus imparem, obtinere; imbecillitas nostra eò non assurgit, neque id in præmium ac mercedem exigere possumus, quod merita nostra longissimè ac infinitè superat; nec quisquam est inter aduersarios, qui refragetur.

II. Et verò, modus aliquis excogitari non potest, quo suis homo viribus fretus, ad Dei thronum ascendat, Deum oculo mentis clarissimè videat, coronam gloriæ, vt vocant, & brauium immortalitatis, mortalis ipse reportet; miserrimi hominis conditio imbecillitati suæ relicta ad tantam dignitatem extolli non potest; humanus oculus tanta luce perstringitur; angustum pectus diuinitatis oceanum non capit; quid plura, à Deo expectamus ea subsidia, & auxilia, quibus ad promissa nobis præmia peruenire valeamus; igitur ille finis vires quidem humanas, non tamen hominis vota & appetitum superat, atque adeò supernaturalis est.

III. Quòd

III. Quòd autem ad illum finem Deus Hominem destinarit, vltrò concedunt adiaphori; cùm scilicet aliquem nobis proposuerit, ne inter res creatas homo duntaxat esset, qui ad suum finem minimè tenderet; quis enim eò tendat, quò tendere nescit? res aliæ creatæ innatò quodam motu & appetitu in suos fines feruntur; at homo ratione præditus & libertate pollens, liberè finem suum prosequi debuit; quod vt fieret, is finis illi proponendus erat; quem reuerà Deus proposuit: quis enim credat, aliquid à supremo illo moderatore Deo fieri debuisse, quod ab eo factum non fuerit; & verò haud iure homini vitio verteretur, quòd ab eo fine recederet, si finem illum ignoraret, in quem ferri deberet; ignoraret autem, si propositus non esset; hinc illi hominem delinquentem omni eximunt culpa, qui rerum illarum ignarum faciunt, quæ vel faciendæ, vel fugiendæ essent, illiúsque præsertim finis, ad quem ab auctore suo destinatus est.

IV. Itaque cùm eum finem Deus nobis haud dubiè proposuerit (nec enim ea omisit, quæ facere debuit) nullus alius, præter æternam beatitudinē, quæ in clarissima Dei visione posita est, nobis innotuit; illa est corona, quam ex hoc rerum mortalium conflictu, victores egressi expectamus; illa merces nostris laboribus promissa; illud præmium nobis propositum; hoc ipsum traditione quadam omniū temporum ac memoriâ tenemus; nec in sacris modò codicibus hoc legimus, verùm etiam in omnibus ferè omnium linguarum, gentium, sectarúmque libris;

bris; is fuit omnium hominum ſenſus, ſi paucos excipias, qui cùm vel Deum exiſtere, vel animam hominis immortalem eſſe negarent, nullum certè finem poſt mortem obtinendum eſſe putarunt. Sed præmia negare viſi ſunt, quæ ſibi debita non eſſe, probè tenebant, vt debitas ſceleribus pœnas effugerent; ſed res eorum iudicio non ſtetit, & quem remuneratem habere noluerunt, modò vindicem ac punitorem ſentiunt.

V. Communis igitur fuit omnium populorum & nationum conſenſus, bonos æternis poſt mortem præmiis, improbos verò pœnis affici: aliud natura non docuit; hoc inſtinctu & innato quodam appetitu tenemus, qui reuerà fruſtra nobis inditus eſſet, ſi alius poſt mortem finis nos maneret. Igitur cùm eum nobis finem Deus propoſuerit, quem proſequi debemus, & cùm æternam duntaxat beatitudinem appetamus & proſequamur, nec alius nobis finis innotuerit, alius profectò eſſe non poteſt; alioquin quadam naturæ fraude in errorem induceremur; vtpote qui inſito à natura inſtinctu, eum finem proſequeremur, quem ideo conſequi nullatenus poſſemus, quòd & viribus noſtris ſuperior eſſet, & ad eum minimè deſtinati eſſemus.

VI. Equidem vires noſtras ſuperat, vt iam ſuprà dictum eſt; nempe quidquid agimus, haud impar viribus noſtris, vt finitum & limitatum eſt, ita ad mercedem quodam pacto infinitam minimè aſſurgit: actionis humanæ honeſtas, ſeu bonitas, vt vocant, tanti nō eſt; & meritum, quod in eam quadrat,

diuinum præmium minimè poſtulat. Cùm tamen Deus mercedis ac præmij nomine æternam gloriam nobis proponat, non modò illum finem nobis propoſitum, ſupernaturalem eſſe neceſſe eſt, cùm limitatam noſtræ naturæ facultatem infinitè ſuperet; verùm etiam eandem naturam noſtram ad eum dignitatis gradum euectam eſſe, in quo, diuina gratia opitulante, ita ſe gerat, diuino ſcilicet pacto ſuppoſito, vt præmium omne infra illius merita ſit, niſi quod æterna beatitudine comprehenditur, & clara Dei viſione completur.

DATVM SEPTIMVM.

Gemini fuêre naturæ ſtatus, integræ & corruptæ, in triplici lege, naturæ ſcilicet, ſcriptâ, & gratiæ.

I. INtegram naturam aliquando extitiſſe, ex ſacra hiſtoria habemus; Deus enim, cui ſalus noſtra curæ eſt, vt tales eſſemus, quales eſſe debemus, nos ſcire voluit, quales fuerimus: vt hominem ſuæ conditionis ac miſerrimi ſtatûs, in quo nunc eſt, pudeat, fecit, vt cognoſceret illius gloriam, vnde initio exciderat: hoc enim ſcire, hominis intererat, ne fortè diuino rigori tribueret, quidquid in pœnam primæ defectionis, miſeriarum ſentit; vt ſibi imputet, quod patitur, ac diuinæ miſericordiæ ſe vel inde obſtrictum eſſe intelligat, quòd longè maiora non patiatur.

II. Et

II. Et verò Deus hominem in eo statu, in quo nunc est, minimè creauit; alioquin cùm tantus esset operis creati defectus, in ipsum auctorem refunderetur. Quòd nascamur iræ, non amoris filij, diuini sanè instituti non est; si enim ira est, iniuria est; nempe ira omnis in auctorem iniuriæ fertur; igitur irato Deo iniuria, ab homine scilicet, illata fuit; quisquis autem infert iniuriam, iam existere supponitur; quod enim nusquam est, quidquam præstare non potest; aliquis igitur, isque primus homo esse debuit, qui filius iræ natus non sit, & in vno tandem sistimus, vnde generis primordia nostri, ne in infinitum progrediamur. Nec est, quòd quisquam timeat, ne in hoc, Iansenio puræ naturæ statum neganti suffragemur, qui à statu naturæ corruptæ omnino differt, vt in confesso est apud omnes; hic enim includit peccatum, cuius Deus auctor esse nequit; vnde licèt à Deo primus homo creari potuerit sine iustitia originali, Deique gratiâ & amore, non tamen cùm peccato creari potuit; neque hoc 55. propositioni Baij damnatæ vllatenus repugnat.

III. Ille igitur fuit naturæ integræ, nondum scilicet peccati vitio infectæ atque corruptæ status, in quo primus omnium Parens à Deo conditus est; hæc illa fuit iustitia originalis, vt vocant, hæc prima hominis stola, ac beata conditio, quæ secum homini tot iura & prærogatiuas afferebat; nempe homo Deo charus erat, Angelis ferè par, contra mali Dæmonis insultus probè munitus, animo rerum omniũ scientiâ & diuinâ gratiâ, ac reliquâ virtutum supel-

lectile instructo, corpore verò perfectæ habitudinis, sine vitio ac næuo gaudebat. In eo perfecta libertas, summa quies animi, nulli passionum aut perturbationum tumultus, diuinæ gratiæ radius vbertim sanè affulgebat, diuina identidem colloquia recreabant: quid plura? cuncta suppetebant ad beatam vitam in terris degendam, ac cælestem deinde longè beatiorem obtinendam; licèt enim terrestris tractûs incola esset, cælestis tamen ciuitatis municeps erat.

IV. Sed homo cùm in honore esset, ab eo desciuit, admisśóque peccato, eam naturæ integritatem amisit, quam cum diuina gratia acceperat: hinc naturæ corruptæ status; hinc Dei hostis factus, qui eidem priùs in deliciis erat; stolâ primâ spoliatus, ac cælesti municipio excidens; Angelis horrori, dæmoni ludibrio fuit: hinc morti addictus, ac mortalibus ærumnis obnoxius. Libertas agendi relicta quidem est, sed longè debilior euasit, fomite peccati accenso, irritata concupiscentia, passionum motibus tumultuantibus, obductis ignorantiæ errorúmque tenebris: quid plura? in summas animi & corporis angustias peccatum hominem redegit, in quibus spe salutis omni caruisset, nisi diuinæ misericordiæ radius affulsisset.

V. Vt autem generis nobilitas, multiplici iure multísque instructa prærogatiuis, à parentibus in filios, à maioribus in posteros traducitur; ita prorsus, stante præsertim diuino pacto, si Adamus stetisset, & in eo, in quo collocatus fuerat, naturæ integræ gradu perseuerasset, eandem integram iisdem dotibus

ac

ac prærogatiuis instructam in totum hominum genus deriuasset; eadem enim est Parentum & liberorum conditio, idem nobilitatis insigne ac decus. Quia verò patrati, per obsequij desertionem, sceleris reus, ex prædicto gradu deiectus est, eámque contraxit infamiæ notam, quam peccatum conciliat, quid mirum, si eius posteris eadem inusta est? ac proinde illi iustitiæ originalis expertes, nascantur iræ filij, ac rei, æternæ addicti pœnæ, non sensus, vt vocant, sed damni: hæc illa est originalis macula, quam à primo parente traductam contraximus omnes, quæque sacro Baptismi fonte eluitur.

VI. Cùm verò Deus suas Leges tulerit, promulgarítque, quibus adstricti homines tenerentur; triplex fuit diuinæ Legis status, naturæ scilicet & gratiæ, inter quas lex scripta, vt vocant, quasi vtriusq; nexûs collocatur. Naturæ lex illa est, quæ nullis tabulis consignata, quasi per manus à maioribus ad posteros traducebatur; fieri enim non potest, quin ij primorum temporum homines, quorum sacra historia meminit, singularem ritum seruarēt in diuino cultu, iisque legibus tenerentur, quibus rectè facta à turpiter gestis distinguerentur. Inde fortè naturæ lex dicta, quòd vel ipso naturæ ac rationis ductu, mortalium animis impressa esset; Legislator erat eiusdem naturæ conditor Deus, parentes ipsi liberis iam à maioribus accepta relinquebant, quasi hæc traditio promulgationis loco esset; lumen denique rationis oculo mentis affulgens impressos à natura characteres ita collustrat, vt legi facilè possint. Deus

identidem nonnullos suis dignabatur colloquiis, vt mentem suam hominibus aperiret, aut aliquem nouum ritum induceret, aut aliquid prohiberet, vel fieri iuberet, aut aliquod dubium discuteret, vel aliquorum saluti prouideret. Ab exemplis abstineo, quę frustra essent; certũ enim est omni tempore, ac æuo, aliquos à Deo institutos fuisse, qui ab aliis de ritibus sacris, de rebus fidei atque salutis consulerentur.

VII. Lex scripta Legi naturæ successit, pro qua Deus Moysis operam adhibuit; atque adeò Lex illa, quæ rationis duntaxat penicillo, in virgine charta mentis, hactenus descripta fuerat, Dei digito in marmore insculpta fuit: hæc fuit eiusdem Legis magis expressa promulgatio; quidquid enim Decalogo cõtinetur, id totum Lex naturæ complectebatur; huic singulares quosdam ritus pro re sacra & politica Deus annexuit, qui religionem Iudaicam ab aliis distinguerent. Scripta autem dicitur, quòd omnia ferè literis consignata essent: dixi ferè omnia; nam multa communibus quibusdam traditionibus continebantur, quarum Christus Dominus in Euangelica historia mentionem fecit: vtrùm verò ritus Iudaicos sequi omnes tenerentur, discutere huius loci non est.

VIII. Denique Lex gratiæ à Christo instituta est; & Ecclesia, in qua modò fideles sunt, fundata, quam in spiritu charitatis regit, suo sanguine pascit, suâ gratiâ recreat, sua carne saginat; in qua diuersos Hierarchiæ gradus & ordines distinxit, sub vno supremo capite, vt infrà euincam. Diuersa ministeria consti-

constituit, tum ad diuini verbi prædicationem, tum ad Sacramentorum ac Sacramentalium, vt vocant, administrationem; tum ad varium Ecclesiasticæ iurisdictionis vsum; in qua demum totius saltem Ecclesiæ consensu, errari non potest, propter infallibile (sic enim vocant) & nunquam fallens Spiritûs sancti adiutorium. Lex autem gratiæ dicitur, tum quia vberiorem gratiam de fontibus Saluatoris haurimus, tum quia ab eo rigore ritûs Iudaici immunes per Christum facti sumus, & in libertatem filiorum Dei vindicati.

IX. Itaque vt sine diuino cultu, Deus homines esse non sinit, quem ab ipso pręscribi oportet, eásque Leges ferri ac promulgari, quibus homines continendi sunt, vt sibi propositum æternæ beatitudinis finem prosequantur; ita variis modis cum iisdem hominibus egit. In Lege naturæ, priuatis quibusdam hominibus sui spiritûs copiam faciebat, à quibus alij deinde rescirent, quid ab iis exigeret; aut sanè quænam illa essent, quorum eos monitos vellet: cæterùm nullam iis legem scripto tradidit, sufficere ratus, iis temporibus, quibus homines diu viuerent, continuatam primorum dogmatum à maioribus ad posteros transmissorum consequutionem. In Lege scripta sacros ministros instituit, penes quos erat, de rebus ad diuinum cultum pertinentibus iudicare; nam super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quorum dictis & decretis, non moribus & factis cæteri stare debebant; in hoc rerum statu identidem Prophetæ diuino spiritu afflati in-

medium prodibant, eáque mundo prædicebant, quæ certò futura Deus ipsis nuntiârat. Summus verò Pontifex Iudaici ritus erroris omnis expers erat, quod illi à Deo promissum esse legimus: & nonnunquam vaticinia edebat, fatidico instinctu concitus; sic Caiphas cùm esset Pontifex anni illius, vaticinatus est. Denique in Lege gratiæ, diuinus spiritus vberior fuit; nempe & priuatis quibusdam hominibus mentem vaticinam tribuit, & Ecclesiam omnis erroris immunem esse voluit, cum visibili capite, hoc est, Romano Pontifice, vt infrà euincam, quem cæteri omnes consulerent, vtpote qui fallere non posset, dum scilicet Christi vicem agens eiusdem oues pascit & regit: itaque Lex gratiæ reliquis haud dubiè antecellit, cùm iis omnibus prærogatiuis & priuilegiis coniunctim gaudeat, quibus aliæ seorsim duntaxat gaudebant.

DATVM OCTAVVM.

Diuina oracula verbo Dei dicto, scripto, tradito continentur.

I. Verbum dictum est, quod à Deo, vel ab Angelo, Dei vicem agente, auditur; sic Deus Abrahamo, Adamo, Noëmo, Moysi, ac Prophetis locutus est: in omni autem Legis statu, hoc diuini verbi genus habemus; in Lege naturæ, vt dixi, sæpe ac sæpius cum sanctissimis illis Patriarchis egit; in Lege scripta longè plures extiterunt, ad quos Deus verba fecerit; in Lege gratiæ ipsum Dei verbum

bum auditum est, nobísque Deus in Filio loquutus est: omitto Prophetas, quos etiam Lex gratiæ initio habuit. Verbum scriptum Legi naturæ, aut defuit, aut saltem nullum monumentum authenticum extat; in Lege scripta, multi reuerà sunt sacri Codices, quibus diuina oracula continentur; Lex gratiæ suos etiam habet, eósque maioris momenti.

II. Singuli porro triplicis Legis status diuinum quoque verbum traditionibus creditum atque mandatum habuerunt; prima quidem, in qua maiores suis posteris ea, quæ de re sacra & diuino cultu à Parentibus acceperant, magnâ curâ tradebant; hinc diuinum verbum, & sacra disciplina, eáque omnia, quæ ad religionem pertinebant, quasi per manus tradebãtur. In Lege Moysaica, traditiones non decerant, cùm Christus id potissimùm Pharisæis exprobret, quòd diuinas ac sinceras traditiones adulterassent; immò non nisi traditione, sacrum illum ritum tenebant, qui fœminis, ad maculam originalem eluendam, adhiberi solebat; quis enim neget, aliquod huiusmodi remedium extitisse? In Lege demum gratiæ traditiones admittendæ sunt; multa enim fecit Christus ac dixit, quæ nullo Volumine comprehendi possunt, vt Ioannes oculatus testis expresse attestatur: hinc Ecclesia suas traditiones seruat, Christi & Apostolorum ore acceptas, & nudis verbis iam inde ad nos transmissas; quis enim de sacra historia id neget, quod de omni disciplina Liuius asserit, quæ per manus à maioribus posteris traditur?

III. Et verò nihil causæ est, cur scripto potiùs,

quàm tradito Dei verbo fides habeatur, cùm vtrumque æquè Dei sit. Sed dubitas, inquies, de tradito; ego etiam de scripto: si enim vnũ dubitationi locum relinquit, aliud certè huius vitij expers non est. Sed inquies, traditiones vitiari facilè, necnon adulterari queunt; quasi verò sacer textus deprauationis immunis sit, cuius sanè multa exempla suppetunt, quæ cùm huius instituti non sint, prudens omitto; immò scriptis mandata longè faciliùs adulterantur, quàm communi traditioni, id est, omnium hominum memoriæ credita; quamquam vtrumque deprauari potest, verbum scilicet scriptum, & traditum, & vtrùmque certam regulam fallere nesciam desiderat, cuius operà verum ac legitimum à spurio & adulterino discernatur, sine qua neutrum eà valet auctoritate, quam diuinæ fidei firmitas postularet.

IV. Quisquis autem sacrum duntaxat textum admittit, omnésque traditiones reiicit, vel hoc ipso sibi contradicit; nempe id duntaxat diuina fide tenendum esse, quod in sacris Libris scriptum est; hoc ipsum in iis nusquam legitur; ergo vel hoc ipsum non scripto, sed traditione tenes: si autem hoc traditione accepimus, alia quoque esse possunt, nudo verbo, non scripto iam inde à Christo ad nos transmissa. At si plura sunt, inquies, nudo verbo tradita, quis modus est veras traditiones à falsis distinguendi, cùm multæ quoque fabulæ per manus tradantur? idem quæro à te de sacro textu; tam enim scripto, quàm dicto falli possumus. Non dubitas, quin sacri Codices, quos apud te habes, legitimi sint; re-

ctè;

ctè; at si quis dubitaret, quid amabò reponeres? an fortè communi traditione constare, illos veros ac germanos esse? at si quis de huius traditionis veritate dubium moueat? certè vel alius modus, alia ratio erit, quâ spuriæ traditiones à legitimis discerni queant, aut sacer textus, quo tua fides nititur, valde nutabit.

V. Hinc ausim dicere, verbum traditum non maioris quidem auctoritatis, sed potioris conditionis esse, quàm scriptum; nempe traditione quadam tenemus, vulgatam illam, vt vocant, editionem veram & legitimam esse; & licèt Florentinum & Tridentinum statuerint, tot & non plures sacri textûs Codices; hos, & non alios esse admittendos; hoc tamen ex antiqua Ecclesiæ traditione didicerant. Immò quòd sit in Ecclesia quædam regula fidei fallere nesciens, licèt ex sacris paginis habeamus, id tamen ex communi quadam traditione firmiùs tenemus, quæ sacri textûs germanum sensum retinet, quem alioquin flectere & detorquere homines facilè possunt; multi enim diuina verba aliorsum, atq; scripta sunt, accipere solent; hinc Augustinus Euangelio non crederet, nisi Ecclesiasticæ traditionis auctoritate niteretur: & Chrysostomus rectè monet, nihil ampliùs quærendum esse, vbi ad traditionem peruentum est. Itaque dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus scripto mandata, vt rectè monet Basilius, quædam verò ex Apostolorum traditione ad nos transmissa; & Doctor Gentium Paulus ad traditiones à se relictas seu verbo, seu scripto

seruan-

seruandas fideles omnes hortatur: quid plura? sapientiæ diuinæ fuit, ita suas hominibus Leges promulgare, vt aliquæ literarum monumentis mandatæ, aliæ nudo verbo à maioribus nobis traditæ essent; immò nonnulli auctores inter canonicos habentur, vnum Lucam appello, vt cæteros omittam, qui licèt Euangelicam historiam scripserit, testis tamen oculatus non fuit; sed ea, quæ scripsit, ab aliis sibi tradita audiuit; vt vel ipsa traditio etiam verbo scripto ad instar parentis esset.

DATVM NONVM.

Vt vnus est Deus, ita vnus est Christus.

I. Cùm Adamus ex primo illo integræ naturæ statu, admisso peccato, excidisset, & posteros omnes in communem ruinam secum traxisset, vt ex sacra historia tenemus; non modò propriis viribus primum illum finem, ad quem homines destinati sunt, consequi nō poterant, quem nec in ipsa natura integra obtinere, iisdem scilicet viribus, potuissent: verùm etiam omni adiutorio, ac subsidio, quo ex illo communi naufragio emergerent, ac euaderent, eos Deus iure meritóque priuare potuisset; cùm enim iræ filij essent, contractâ scilicet originali maculâ, & transmissâ in eos paternâ infamiâ, vt Deus eos iustè damnare, æternæ scilicet beatitudinis iacturâ, ita suis viribus relictos, omni supernaturali adiutorio iustè priuare poterat.

II. Quòd enim Adami culpa, illata Deo iniuria fuerit,

fuerit, perspicuum est; quisquis legem Principis violat, & præceptis non obtemperat, ipsum reuerà offendit ac lædit; cùm id iure Princeps à subditis exigat, vt pareant; si ergo imperium detrectant, sibi Principis offensionem concitant, eiúsque gratiâ excidunt, nec non pro delicto, iusta pœna infligi potest: delicti autem grauitas offensæ grauitatem adæquat; & hæc offensi dignitate censetur; quis enim neget, grauiorem offensam esse, si quis Principi alapam impingat, quàm si lixæ cuipiam, aut caloni impingeret? Cùm igitur diuina maiestas humanas dignitates infinitè superet; dubium certè non est, quin offensio Dei, quam, quisquis peccat, sibi concitat, omnes alias, quibus homines offendimus, infinitè superet; hoc est, talis sit, vt nulla alia, inferioris scilicet ordinis, illam adæquet; licèt enim peccatum etiam mortale, vt vocant, omnino & absolutè infinitum non sit, id tamen est, cuius grauitatem nulla noxa, quæ aduersùs Deum non sit, quantumuis multiplicata, aut repetita, vllatenus adæquet, nedum superet; nempe quantumlibet finita multiplices, nunquam infinitum adæquant: offensa igitur Dei, quam omne peccatum importat, omnium grauissima est, & omnes alias, si quæ sunt, ab offensa Dei seiunctæ, infinito prorsus interuallo post se relinquit.

III. Cùm autem certam & limitatam pœnam, seu satisfactionem cuiuslibet iniuriæ homini illatæ vindicatio exigat (ius enim violatum iniuria est) & quilibet eo iure gaudeat, ne ab alio lædatur; si ergo læditur, contra ius est, iniuria igitur est. Ius porrò vio-

violatum reparari, & in integrum restitui debet; id enim iustitia postulat, quâ scilicet ius alterius adæquatur; itaque cùm de illata iniuria homo satisfacere teneatur, limitata verò satisfactio humanæ ac limitatæ iniuriæ respondeat; diuina demum offensio humanas omnes offensiones infinitè superet; inde sanè fit, ac perspicuum est, satisfactionem illam, quâ Deo, pro accepta iniuria satisfacimus, talem esse, vt humanam omnem satisfactionem superet. Ab homine igitur, suis viribus relicto, offenso Deo fieri satis non potest, nec illatæ Deo iniuriæ digna exsolui pœna; itaque nisi noua cælitus accederent subsidia, homo primæ Parentis culpæ contagio tactus, in eo miseriarum baratro sepultus ita iacuisset, vt nec resurgere vnquam, nec quidquam, quod Deo gratum esset, agere potuisset; sed peccati & cacodæmonis vinculis adstrictus, miser, nudus atque reiectus, diuinæ iræ scopus, & odij; vno verbo, bonis omnibus spoliatus, malis omnibus oppressus atque obrutus mansisset.

IV. Equidem Deus absolutâ & illimitatâ potentiâ vsus, liberè homini condonare, eundémque non præmiis quidem, aut mercedis nomine, cælesti ciuitate donare potuisset; quis hoc neget? Deo tamen secus visum est, quod & rationi magis consentaneũ, ipsíque homini longè honorificentius est. Nempe homini haud immeritò exprobrare, vel obiicere quispiam potuisset, eum nullis suis meritis, ad sublimem illum dignitatis gradum euectum fuisse; illâ coronâ indignum esse, quæ strenuè duntaxat se ge-

renti-

rentibus meritò debetur; laudi & gloriæ eidem non esse, quòd Deus illum ad tantam gloriam promouisset; hoc totum esse omnipotentis Dei, qui peccata citra vllam satisfactionem condonasset, & sine meritis, æterna donasset beatitate; indignum denique illo gradu & honore videri, ad quem gratuitò promotus esset: hæc & alia hominibus exprobrari possent, si Deus, citra satisfactionem, offensam iis vltrò condonasset.

V. Itaque Dei sapientiæ fuit, iustitiæ suæ & gloriæ nostræ consulere, eúmque modum & rationem illam excogitare, quâ & homines bearet, & Iustitiæ suæ satisfaceret. Homo per se ipsum satisfacere non poterat; quia quidquid præstat, finiti valoris & meriti est; Deus ipse sibi satisfacere nequit, cùm satisfactio alteri exhibeatur; homo tamen esse debuit, qui pro hominibus satisfaceret; Deum etiam esse par fuit, cuius satisfactio & merita infinita essent. Igitur hominem Deum, qui pro aliis hominibus, soli Deo, ea offerret merita, quorum intuitu, licèt homines saluaret, æternísque præmiis afficeret, nihil supra meriti sortem rependeret: immò etsi quidquid ad salutem hominum spectat, vltrò concedit, ac liberaliter impertitur, haud tamen præfata merita, id præmij genus adæquat. Igitur ex communi quadam traditione (neque hoc adiaphori negant) ex sacra historia. & ex omnium Patrum, immò & nationum ferè omnium monumentis habemus; hominem lapsum è seruitute redemptum fuisse, Deúmque hominem factum, vt redemptionis huius pretium

tium solueret. Credimus, inquam, Vnigenitum æterni Patris Filium, ab eodem missum Patre, ab eo quippe mittitur, à quo procedit, humanam naturam assumpsisse, ac suæ diuinæ personæ mirabili nexu, quē hypostaticum vocant, deuinxisse, in vnum scilicet Christum, qui suis nos exemplis & verbis docuit, ac se ipsum, pro nostra salute, æterno Patri obtulit. Christi ergo diuinitatem, quam tot euincunt miracula, tot Prophetæ prænuntiarant, tot historici celebrarunt, tot gentes & populi agnoscunt, hoc loco suppono, qui hominum genus in libertatem vindicauit, viam nobis salutis aperuit, & ea nobis merita donauit, quibus cælestem gloriam, mercedis ac præmij nomine, consequi valeamus.

VI. Vnus autem Christus est, nec vllus multorum vnquam meminit, qui frustra essent; vnus enim profectò sufficit, cuius infinitis meritis, etiam plures terrarum orbes, si essent, saluari omnino potuissent: nempe inexhaustum illius ærarium est; quantumuis inde ad redemptionis nostræ pretium sumatur, infinitus adhuc thesaurus est. Cur igitur redemptores ac reparatores nostros multiplicamus, si vnus plusquam satis est? cur Monarchiam sine ratione turbamus? cur superflua & inutilia gratis accersimus? Vnus igitur nobis Reparator, vnus Redemptor, vnus Iesus, vnus Christus, quē vt salutis nostræ auctorem agnoscimus, ita vni duntaxat illi salutem acceptam referre debemus; & vt saltem vnus nobis ad hominum salutem procurandam obtinendámque necessarius est, ita plures superflui essent: id enim naturæ repugnat,

repugnat, quæ plures causas totales, vt Philosophi vocant, ad eundem effectum nunquam adhibet. Vno verbo, vnum Christum esse, ex communi traditione, & innumeris ferè scriptorum monumentis, ac certa fide tenemus; cùm enim necessarius nobis esset, cùm infinita Dei misericordia nobis deesse nollet, nec iustitia delicta hominum, illatásque iniurias gratuitò remittere, vnum quidem salutis auctorem ac reparatorem extitisse rectè concludimus; plures autem fuisse, nemo nisi gratis assereret. Loquimur autem de reparatore principali & propriè dicto.

DATVM DECIMVM.

Vnus est Spiritus veritatis, vna Fides, vna Lex, vna Religio.

I. VT vnus finis est, ad quem Deus homines destinauit, ita vnus spiritus, cuius impulsu, ad eundem finem homines tendunt; cuncti sanè ex eodem Deo Patre profecti, ab eodem Domino Iesu Christo è seruitute redempti, eiusdem Spiritus sancti halitu agimur, regimur, sustinemur; ex quo corpus vnum totius Ecclesiæ compactum conflatúmque est, vno Patre, vno capite, spiritu quoque vno, sed pluribus tanquam membris distinctum atque ornatum. Et verò vt Beatitatem, ac summum bonum, in quo noster finis positus est, scilicet ipsum Deum, consequamur & complectamur, Dei nos esse oportet, filios scilicet, atque amicos; quis enim hæres potiore iure, quàm filius, na-

turâ, vel adoptione? Qui autem filij Dei sunt, ij spiritu Dei aguntur; similes enim sunt ac diuinæ per gratiam consortes naturæ; eodem igitur cum Dei spiritu ducuntur; at spiritus Dei vnus est, cùm Deus ipse vnus sit.

II. Prætereà vna veritas est, mendacium verò multiplex; de re qualibet verè dicitur, quòd ea sit, qualis reuerà ipsa est; id autem vnum est; quòd autem alia sit, falsum est; & vt innumera sunt alia, quæ falsò affingi possunt, ita mendacium multiplex, & veritas vna est: vnus igitur spiritus veritatis, cuius impulsu & ductu, homines reguntur, vt ad suum finem perueniant. Et verò si varij ac diuersi spiritus essent, Ecclesia vnum corpus ex capite & membris, Christo scilicet & fidelibus compactum non esset; nam eiusdem corporis eadem ac vna est anima, vnus idémque spiritus; monstrum igitur bicorpor esset, sub vno capite; quomodo igitur cor vnum & anima vna credentium erat? Prætereà diuersi spiritus, diuersis motibus nos agerent; sed motibus contrariis moueri non possumus: si enim me vnus eò ferat, vnde alius retrahit, quid faciam miser in partes distractus? si vnus asserat id, quod alius negat, & hic suadeat, quod alius dissuadet, vtri fides adhibenda? Esset haud dubiè, quod in huiusmodi anxietatis angustias redactus, aliquid lucis à Patre luminum desideraret; hinc Christus, cuius verbis standum est, (illa enim spiritus & vita sunt) vnum duntaxat spiritum veritatis, vnum Paraclitum misit; nec multorum

rum

rum meminit, cùm vnus tantùm sit; neque hoc adiaphori negant.

III. Si autem vnus spiritus veritatis, atq; adeò vna veritas est, vna etiam fides est; nempe fides in diuinam veritatem fertur; in ea scilicet, quæ Deus scit, ac dicit; Deus enim verax est, qui nec falli, nec fallere queat. Non falli, quia quidquid verum est, probè scit: non fallere, quia ea duntaxat nuntiat, & dicit, quæ ipse scit; cùm igitur vera solummodò sciat, eadem quoque dicit; vna igitur fides est, cùm vna tantummodò veritas sit. Et verò cùm eandem beatitudinem sperare ac prosequi debeamus, vna certè nobis spes est; fides autem spei nostræ firmissimum est fundamentum: eiusdem porrò ædificij idem fundamentum est; vt igitur vna spes, ita vna fides est. Prætereà vna eadémque fidei ratio, quam motiuum vocant; diuina scilicet veritas, atque auctoritas loquentis Dei fallere nescij; hinc eadem credimus, cùm Deus eadem nuntiarit; si enim diuersa credimus, igitur vel aliquid credimus, quod nobis minimè nuntiauit; atque adeò alio motiuo ducimur, quàm quod à diuina auctoritate & veritate ducitur. Si autẽ aliud motiuum est, alia fides est; vel fidem aliqua in re eidem detrectamus, atq; adeò fidem negamus, cuius rationem ac motiuum destruimus, diuinam scilicet auctoritatem & veritatem; quæ cùm vna sit, diuidi & à se ipsa diuelli ac seiungi nequit; igitur vel in omnibus tenenda est, aut certè in nullo tenetur. Hinc, qui peccat in vno, fit omnium reus; & quisquis vnum quid, quod cre-

dendum esset, credere recusat, nihil penitus credit, eâ scilicet fide, quâ credendum est, diuinæ scilicet auctoritatis studio, quam si vel in vno negat, eam parui facit; ergo eâ mentis firmitate illam minimè amplectitur, quam diuina fides, quæ certissima est, postularet; hinc infidelis est; igitur fidem amisit; si amisit. certè non habet. Quòd autem cum infidelitate fides stare non possit, per se notum est; vt enim peccatum lethale diuinam gratiam & charitatem destruit, ita vel minimus infidelitatis actus diuinæ fidei lumen extinguit.

IV. Prætereà Deus nunquam loquitur, nisi vt fidem à nobis exigat; quisquis enim loquitur, sibi credi vult, & dictis fidem haberi; quod Deo, qui nunquam fallit, potiori iure competit; igitur vel integram & plenam fidem exigit, vel nullam; & cùm omnibus loquatur, eadem omnibus credēda proponit: loquatur, inquam, vel per se ipsum, vel per alios, quibus incumbit ea cæteris nuntiare, quæ ipsi à Deo acceperunt; igitur eadem omnium vera fides est; si eadem, igitur vna Illud autem præsertim incommodi ex multiplici fide ortum duceret, quòd nemo certus esset, cuinam ex iis sibi adhærendum esset; quòd enim hæc vni, illa verò alteri Deus imponat, quis amabò hominum rescire posset? igitur vt fides certa sit, vna esse debet. Si demum diuersa fides esset, inde haud dubiè multa dissidia & contentiones orirentur; qui autem diuersa sentiunt, Christianæ charitatis vinculo teneri vix possunt; at nisi charitatis coagulo corporis Ecclesiæ membra

conglu-

conglutinentur, vbi membrorum vnio non eſt, corporis vnitas eſſe nequit. Ex his igitur manifeſtum eſt, fidem vnam eſſe, vnius ſcilicet Dei loquentis auctoritate nixam, quâ fideles ab infidelibus diſcernuntur; licèt enim fideles inter variæ ſint opiniones, de iis tamen eſſe conſtat, quæ ad rem diuinæ fidei non pertinent, de quibus, prout cuique videtur, ſentire liberum eſt.

V. Vna fides, vnam legem parit; lex enim ſupremi eſt Legiſlatoris, vel illius vicem gerentis voluntas, rationis ductu concepta & promulgata. Deus autem legem ferre non poteſt, niſi loquatur, & mentem ſuam ac voluntatem aperiat; atqui fides eorum eſt, quæ nobis à Deo nuntiantur; igitur diuinam legem eáque præcepta, quæ Dei iuſſu exequimur, certa fide tenemus, à Deo ſcilicet profecta eſſe. Accedit, quòd diuina lex in ſacris Codicibus continetur; ſed ibidem diuinæ fidei habemus oracula; ſi ergo vna fides eſt, quæ omnia Dei oracula complectitur, vna quoque lex erit, quæ iiſdem continetur. Vt enim vna eſt fides, quia vna eſt diuina veritas; ita vna lex, quia vna eſt diuina voluntas; nec minùs contra legem peccat, qui minimum præceptum Dei violat, quàm contra fidem, qui minimo Dei verbo fidem abrogat. Denique ſi varia variis præcepta Deus imponeret, & diuerſas diuerſis traderet leges, maxima quiuis anxietate laboraret, incertus ſcilicet, quam legem amplecti deberet; huic ſanè incommodo diuina ſapientia occurrere debuit; alioquin mortalium ſaluti minùs conſultum eſſet.

VI. Vna autem fides & vna lex vnam religionem constituunt; cùm religio hoc loco illa omnia complectatur, quæ ad rem sacram & diuinum cultum pertinent. Lex autem ea dirigit ac moderatur, lumine fidei duce; nempe ille verus Dei cultus est, quem Deus ipse nobis præscripsit; si præscripsit, haud dubiè significauit & nuntiauit. Res autem sacra omnis ad diuinum Dei cultum spectat, vt perspicuum est; cùm igitur diuinus cultus legibus à Deo latis, ac diuinis oraculis nitatur (nihil enim Deus præscribit sine lege; nihil significat sine oraculo) inde sanè concluditur, ex vna fide & lege, vnum Dei cultum, verum scilicet, atque adeò vnam religionem consequi. Sit enim multiplex, si fieri potest, religio; vera scilicet, igitur multiplex Dei cultus; igitur diuersa fides & diuersa lex; id est, diuersus cultus præscriptus; præscribi autem non potest, nisi nuntietur ac promulgetur. Itaque cùm vna lex & vna duntaxat fides sit, ac proinde vnus Dei cultus, vnam tantùm religionem esse, necesse est, quæ scilicet res omnes sacras complectitur; vnam, inquam, cum multiplici ritu, qui vnitatem fidei non soluit, sed supponit; neque hoc aduersarij negant. Nec est, quòd ex variis religiosorum Ordinum institutis, religionum quoque varietatem deducas; nempe illi omnes, quamuis diuersi ordinis ac instituti sint, eandem fidem ac legem profitentur, ea scilicet Christi consilia sequuti, quæ licèt omnes minimè sequantur (nec enim consilium obligat, sed præceptum) nemo tamen est, qui consilia esse non dicat,

cat. Porro diuersa habitûs, cibi, cantûs, ac exterioris vitæ ratio religionis substantiam non mutat, sed eandem supponit, & varia tantùm adnectit ornamenta: itaque vna quidem est religio, eáque Catholica, diuersa tamen religionis instituta, diuersíque Ordines; sicuti in Hierarchia, diuersi gradus.

DATVM VNDECIMVM.

Vna est duntaxat Ecclesia.

I. ECclesiæ nomine, intelligo congregationem fidelium, id est, eandem Christi fidem profitentium; corpus scilicet quoddam mysticum & politicum, ex suis membris & capite constans; corpus, inquam, visibile; nec enim Ecclesia congregatio spirituum est, sed hominum: quidquid sit, Ecclesiam voco, congregationem illam hominum, veram fidem, legem ac religionem profitentium; ac dico, vnam duntaxat esse, quod adiaphori, contra quos ago, non diffitentur; vna enim est diuini Sponsi dilecta, vnica sponsa, vna columba, & Sunamitis, vna regina in vestitu deaurato, circumdata varietate.

II. Et verò cùm vna solummodò fides sit, vna est duntaxat vnam fidem profitentium congregatio; nempe vnitas fidei eiusdem corporis vnitatem constituit; quisquis enim veram fidem profitetur, ad prædictam congregationem pertinet, quæ illorum est, qui veram fidem sequuntur; vera autem fides,

vna est, vt suprà ostendi. Porro hæc fides huius corporis politici quædam forma est; & cùm forma det esse rei, id est, constituat rem, certè si vna forma est, vna res est, ac vnum esse; esse, inquam, corporis mystici, seu politici, suis membris distinctum. Licèt autem huius corporis perfectio postulet, vt omnia membra Christianæ charitatis fibulâ inter se copulentur, non tamen charitatis diuinæ defectus corpus illud dissoluit, cuius membra societate & communione fidei copulantur: alioquin vel minima peccati lethalis noxa ab Ecclesia segregaret; quod reuerà dici nō potest; nam peccatores etiam in fidei societatem admittimus, cuius vinculo inter se connexi, Ecclesiæ corpus componunt.

III. Porro licèt multæ Ecclesiæ esse dicantur, sic Lugdunensis olim ad Ecclesias Asiæ scripserat; immò Ioannes Apostolus multarum Ecclesiarum in Apocalypsi meminit, hoc tamen non facit, quin vna sancta sit & Catholica Ecclesia, vt in fidei Symbolo, quod Adiaphori vltrò admittunt, præfertur; illa autem diuersitas, loci est, non fidei; gentis & nationis, non legis ac religionis. Vt enim multæ ciuitates Regionem vnam, vel vnum Imperium componunt, ita multæ priuatæ Ecclesiæ vnam Ecclesiam constituunt, in qua sanè Romanum inter & Græcum Catholicum nullum discrimen intercedit, in iis scilicet, quæ ad essentiam fidei ac religionis pertinent; quòd autem diuersa lingua sit, vnam fidei mentem vel animam non tollit; diuersa liturgia ac diuersus

can-

cantus, vestes etiam sacræ diuersæ, eiusdem legis vnitatem non soluunt.

IV. Immò, vt fides multiplex esse non potest, ita nec multæ Ecclesiæ esse queunt; sint enim, si fieri potest; igitur vel eadem fides multis Ecclesiis communis est, vel diuersa diuersis competit: non primum; quia si eadem fides, idem est fidelium genus, atque adeò eadem fidelium congregatio, communio, societas (hæc enim idem sonant) eadem igitur Ecclesia: non secundum; quia vna duntaxat est fides, vt ex dato decimo perspicuum fit; igitur quòd multæ sint Ecclesiæ, dici nequit; & ea est fidei, legis, religionis & Ecclesiæ connexio, vt ex fidei vnitate, legis ac religionis vnitas, & ex fidei, legis, & religionis vnitate, Ecclesiæ vnitas consequatur.

V. Prætereà cùm in Ecclesia nostram salutem procurare debeamus, vt enim ante conditam Ecclesiam, salus ex Iudæis erat, ita in condita Ecclesia saluari duntaxat possumus; nempe sine fide impossibile est placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere, vt lib. sequenti luculenter ostendam. Si multiplex Ecclesia est, fieri non potest, vt eam distinguam, in quâ Deus me saluari vult; quòd autem multarum Ecclesiarum membrum esse non valeam, certo certius est; licèt enim quis plurium ciuitatum iure donari possit, & pro ciue iure municipij haberi; vnius tamen ciuis duntaxat est; id est, in vna duntaxat natus, aliis verò adscriptus, per moralem quandam adoptionem. Sic vnius tantùm patris re ipsa filius est, adoptiuus autem multorum; equidem mul-

D 5 tas

tas personas gerere possumus, multas dignitates sustinere, multísque gaudere iuribus, at vnum duntaxat vitę institutum amplecti valemus, vt perspicuum est; ne intra simul & extra eandem Ecclesiam simus, quod reuerà dici non potest. Nec est, quòd dicas, liberum cuiquam, hanc vel illam partem sequi, huic vel alteri societati adscribi; nam cùm illæ differant, quòd Deus mihi liberum reliquerit, diuersa sentire, quis amabò dicat? quasi verò mihi liberum sit, credere Deum agi diuersis opinionibus, & modò in hanc, modò in illam ire, ac diuersa & repugnantia loqui? absit. Igitur vel non differunt, scilicet in dogmatis fidei, ac proinde vnam constituunt Ecclesiam, aut reuerà si differunt, vna solummodò vera est, cuius membra & filij esse debemus.

VI. Deinde Christum Ecclesiæ caput esse, omnes fatentur; vna igitur est Ecclesia; scilicet vnum corpus mysticum & politicum, cuius Christus caput est. Si enim plura corpora, cum vno capite essent, monstrum esset; monstra autem præter naturam sunt, nec ea sibi naturæ auctor in finem proponit, sed ex mero casu, vel causarum vitio sunt; plura quidem membra communi capite gaudent, sed ex iis, vnum & idem corpus constatur. Vnus demum est spiritus veritatis, quo Ecclesiæ corpus agitur & viuit, vna vita igitur, mens vna, anima vna, vnum vitæ principium; igitur vnum corpus, & vnum viuens; vna denique cælestis Ecclesia; vna Dei ciuitas; vna Hierusalem; sed quæ cælestis est, terrestris aliquando fuit; quæ modò triumphat in cælis, ca-

dem

dem in terris militauit. Cùm igitur triumphans vna sit, militantem vnam esse, necesse est; sic vna est Dei domus,& in vnum corpus baptizamur: vnus Christi panis sumus, vnum boni Pastoris ouile; vnum, inquam, corpus, vno Christi spiritu vegetatum & alitum; cuius membra diuersis facultatibus instructa sunt, ita inter se distinctis, vt in diuisis singulorum actionibus, vna omnium communis salus procuretur: quòd si membrum vnum aliquod aliorum sibi membrorum functiones vsurpare contendat,iam est confusio in corpore, & ordinis & societatis fit perturbatio.

DATVM DVODECIMVM.

Vna est fidei nostræ regula, propria & vltima.

I. VT rectum ab obliquo discerni possit,regulâ opus est, cui si quid consentiat & congruat, rectum esse concluditur; vt autem congruere ac consentire cognoscamus, applicatio quædam, seu comparatio instituenda est. Sic artifices regulam suis operibus admouent; murarij, muris; lignarij, tabulis, &c. nempe cùm regula recta supponatur, si quid deinde cum regulâ conueniat & consentiat, id omnino rectum esse concluditur. Cùm autem non rarò inter homines de rebus fidei controuersia intercedat, immò multis dubium de quopiam articulo suboriri queat; haud dubiè vt lites omnes componi,ac dubia dissolui possint, aliqua certa

certa regula esse debuit, ad cuius applicationem, seu probationem, certa ab incertis, recta ab obliquis, distinguere ac discernere valeamus.

II. Quid sit autem rectum, facilè intelligi ac definiri potest: Lineam rectam Geometræ definiunt illam esse, quæ à puncto ad punctum breuissimè inducitur, seu quæ nunquam à termino declinat, seu deflectit, nempe lineæ termini sunt puncta; igitur à puncto profecta ad punctum tendit; illa igitur, quæ à puncto ad punctum re ipsa, citra vllam deflexionem vel inclinationem tendit, recta est; quidquid enim aliorsum deflectit, ab aliquo deflectat, necesse est, à suo scilicet termino & fine. Sic actio recta est, quâ agens ad suum finem tendit; homo rectus est, qui rectè agit; hinc rectum pro iusto aliquando vsurpatur, quòd scilicet adæquationem inducat, adæquato alterius iure; hinc ratio illa recti, quam scholastici rectitudinem vocant, actionis humanæ honestas seu bonitas est, in eo duntaxat posita, quòd homo sic agens ad debitum finem tendat; vt enim propter finem est, ita propter finem agit; id est, agendo ad finem suum tendit.

III. Nec deest regula, quâ rectas actiones à non rectis discernat, ipsa scilicet ratio; hinc actio illa recta esse dicitur, quæ cum ratione consentit; ratione autem verè iudicatur, talis actio recta; censetúrque talis esse, quâ homo ad suum finem tendat, & id agat, quod naturæ suæ instituto competit. Porro ipsa ratio, per se ipsa recta est, nec aliâ indiget regulâ, vt cùm illa conferri, seu comparari possit; nec datur

ratio-

rationis ratio, seu regulæ regula, quæ recta esse supponitur, ne detur processus in infinitum; hinc regula rectum quidem non facit, sed probat atq; discernit, & in cognitionem recti hominem ducit; nec ideo rectum est, quia cùm regula consentit, sed ideo consentit, quia rectum est.

IV. Datur igitur aliqua fidei regula, quam homines adhibere possunt; alioquin pessimè iis consultum esset, & in his cælestium & diuinarum rerum tenebris, nulla lux penitus affulgeret, ad discernendum verum à falso; inter tot errores, tuta via non esset, nec certus trames pateret; nullum iter sine periculo, nulla semita sine lapsu. Itaque cùm natura homini ad dirigendas actiones illas, quæ ad finem illum conducunt, quem suis viribus consequi potest, certam regulam dederit, scilicet rationis lumen, quo duce, modò non declinet, nunquam errabit; certè ad finem illum supernaturalem, ad quē euectus est, certâ regulâ indiget; cùm enim in rebus supernaturalis gradus humana ratio caliget & cæcutiat, diuinæ fidei lumen inditum est, quod alterius imbecillitatem suppleat; cuius accessione homo instructus, illa omnia cognoscat, quæ ad finem illius supernaturalem pertinent. Hinc quòd actionibus naturalibus, rationis lumen est, supernaturalibus lumen fidei hoc ipsum erit; id tamen discriminis intercedit, quòd ratio sibi regula sit, nec enim rationis ratio datur; at verò res fidei, quæ obscura est, anxium animum tenet, nisi ex certæ regulæ vsu constet atque probetur.

V. Diui-

V. Diuinæ actum fidei certum esse, necesse est; ac proinde omnem excludere formidinem; iis enim, quæ auctoritate diuina nituntur ut firmiter assentiamur, nullo dubio titubantes, nulla vacillantes formidine, aliqua regula necessaria est, cuius operâ res diuinas ab aliis, quæ incertæ sunt, discernamus. Equidem attestanti aliquid Deo fidem minimè detrectare possumus, sed diuinum oraculũ nobis ab eo proponi debet, qui errori vel hallucinationi obnoxius non sit; alioquin mihi perspectum non erit, quòd sermo Dei sit. Igitur ne suo adminiculo diuina fides careat, certâ regulâ instructam esse oportet, cuius diuinæ fidei oracula à vanis & humanis commentis probè distinguantur, ac proinde certi simus, falli non posse, dum iis, quæ Dei nomine nobis significantur, firmissimum assensum præbemus, quo reuerà subsidio nisi mens nostra instructa sit, fieri non potest, quin aliquod dubium admittat, & leui saltem formidini præbeat locum.

VI. Ratio regendi homines prædictam regulam postulat; cùm enim quælibet respublica rectè administrata eos iudices constituat, qui subortas lites componant, & causas decîdant omnes; Ecclesia peioris conditionis esse non debuit, in qua haud dubiè Iudices illi constituti sunt, quos in dubiis ac controuersiis fidei consulamus. Quis enim id iuris sibi arroget, nisi cælitus illi datum sit? nempe quòd fallere, aut falli non possit, homo à se ipso non habet; à Deo igitur fallere nescio, qui aliquorum animos sui spiritûs halitu ita perfundit, ac diuinæ veritatis radio

dio illustrat, vt eos fallere non possint, quos Dei nomine affantur, vt iis diuina nuntient oracula. Ecclesiasticæ igitur administrationis ratio id necessariò postulat, vt certa sit diuinæ fidei regula, quâ constet, quid tenendum sit, quid certò credendum, quid cuique liberum relinquatur: præsertim cùm nulla lex citra promulgationem obliget, nec fidei articulus citra sufficientem propositionem, vel significationem; quæ certè nec fieri, nec admitti potest, nisi ab eo fiat, qui auctoritate polleat, vt perspicuum est.

VII. Nec modò aliqua est regula fidei, sed vnica duntaxat propria & vltima est; nam si plures sunt, vel alteri vna consentit, vel aduersatur: si consentit, eadem cum illa est; plures igitur non sunt; aut certè si plures sunt omnino similes, reuerà frustra sunt; cùm vnica totum id præstet, quod à multis obtineri posset. Adde, quòd illa multiplicitas haud dubiè formalis non esset, sed materialis, vt aiunt, scholastici; sic plures eiusdem scripturæ Codices, plures scripturas non continent, sed vnam. Si verò secundum dicatur, haud dubiè si altera recta est, altera legitima non est, vtpote quæ cum recta non consentit, vt ex ipsis terminis constat. Sed vt rem hanc paulò pressiùs inculcem, si hæc regula à libero cuiuspiam voluntatis vsu pendet, vel huic voluntati res omnes fidei subiacent, vel illarum pars; hoc secundum dici nequit, alioquin daretur regula regulæ; quonam enim pacto aliter sciri posset, quid cuilibet voluntati subiaceret; igitur tota rerum ad

fidem

fidem pertinentium vniuersitas præfatæ voluntati subsunt; duabus autem omnino subesse, nihil est, quod possit; sicut eiusdem rei integrum dominium, vt vocant, penes duos simul esse nequit. Si verò plures simul, atque vnà fidei controuersias definire queunt, iam non plures illi regulas, sed vnam duntaxat constituunt, integram scilicet & absolutam; vnica igitur est fidei regula; plures enim non modò superfluæ sunt, atque adeò frustrà (frustra autem Deus aut natura nihil facit) verùm etiam, quod ego existimo, impossibiles.

DATVM DECIMVMTERTIVM.

Sacra Scriptura, in controuersiis ad fidem pertinentibus, non est Iudex.

I. HÆresiarchæ in Catholicos, præsertimque in Romanos Pontifices, & Romanæ doctores Ecclesiæ acriter hactenus inuecti sunt, quòd in re diuinæ fidei, multos errores admittant, & mores antiquos mutarint: hoc ipsum Catholici negant; hi defensores, illi verò actores sunt: vt lis dirimatur, Iudice opus est. Quod autem dissensiones, Christianos inter extinguendæ sint, ratio monet, & Paulus clamat, vt idem omnes sapiant & dicant, maneántque in vnitate fidei, legis, spiritûs & charitatis; tollenda igitur diffidia, & causæ fidei terminandæ; porro motam litem Iudicis duntaxat sententia terminat; Iudice igitur opus est, quem appelle-

pellemus, & consulamus, cuius verbis & decretis standum sit, alioquin lites æternæ forent.

II. Sacer Bibliorum textus legis loco est, non verò Iudicis; Legis, inquam, à supremo Legislatore Deo latæ; hic nobis diuinorum decretorum ac iudiciorum est Codex, responsorum æternæ sapientiæ digestum, tabulæ Dei digito sculptæ, nouellæ legis gratiæ, authentica diuinæ fidei, ac æternæ veritatis testimonia. Legem video, testem audio; sed vbi iudex? vbi verò lex est, auctoritatem illam ac potestatem esse oportet, cuius sit, non modò legem condere, verùm etiam procurare, vt lex seruetur, & si quid in legis textu dubij suboriatur, legitimam eiusdem interpretationem firmare. Quòd enim sacer textus diuersæ explicationis & sensûs patiens sit, dubitare non licet; immò omnes hactenus hæretici sacras paginas pro sua causa citant; & non rarò accidit, vt pars vtraque litigantium eundem pro se legis textum afferat. Lex igitur Iudex esse non potest, cùm de ipsa lege non rarò litigetur, & sacer textus multarum sit dissensionum ac controuersiarum causa, seu materies.

III. Et verò primis illis temporibus legis naturæ, vt vocant, malè omnino cõsultum esset, quibus nulla scriptura fuit, sed mera diuinorum oraculorum à maioribus ad posteros, non scripto, sed verbo traditorum transmissio. Præterea quòd scriptis duntaxat standum sit, in sacris paginis non lego, in quibus tamen habemus, si quid dubij & controuersiæ in lege moueatur, sacerdotem consulendum esse, qui

dubium soluat, & causam iudicet: immò in Moysis Cathedra Scribas & Pharisæos sedere Christus, quãtumuis huic hominum generi valdè infestus, vltrò fatetur, quorum dictis, non verò factis standum sit. Multa demum in sacro textu leguntur, quæ nisi rectè intelligantur, destructioni potiùs, quàm ædificationi seruiunt; à sanguine & suffocatis abstinere, Sabbatum festiuo cultu agere, aliáque id genus facere iubemur; quæ tamen Ecclesia non seruat: alium igitur Iudicem esse oportet, qui verum huiusmodi præceptorum vsum, modum, & finem exponat.

IV. Accedit, quòd multa loca difficilia sunt, vt de Pauli Epistolis Petrus expresè testatur; Ariani Filium Patre minorem esse asserunt, cùm hæc verba in sacris paginis legant, *Pater maior me est.* Alij abstinẽtiam à carnibus damnant, propter hunc sacri textûs locum, *Manducate, quæ apponuntur vobis*; nõnulli Deiparam Virginem esse negant, dum his verbis insistunt, *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Alia innumera omitto, quæ nisi ab auctoritatem habente, & fallere nescio exponantur; in sacris paginis nihil certi, aut fixi habebimus, sed multas errandi occasiones. Verbum Dei gladius est, quo vir strenuus si vtatur, rebus fortiter pro Rege & Patria gestis famulatur; si rabie & furore actus, parricidiorum instrumentum est.

V. Prætereà dum sacrum textum pro fidei & controuersiarum iudice adstruis, vnde habes, quæso te, tot libros Canonicos esse? Protestantes Tobiam, Iaco-

Iacobi Epiſtolam, alióſque multos non admittunt, aliis contenti; ſed cur his, non illis? cur alios inter apocryphos reiicis? quo tandem oraculo id habes? Communi, inquies, traditione accepimus; ſed hæc traditio niſi certa auctoritate nitatur, errori obnoxia eſt, ac proinde quod ab ea pendet, integrum non erit, ſed errori obnoxium. Hinc illud nunquam ſatis laudatum Auguſtini dictum: Euangelio non crederem, niſi Eccleſiæ auctoritas me moueret. Dices fortè, à Conciliis generalibus definitum eſſe, vt ij Codices, pro Canonicis habeantur; rectè; igitur à Conciliis generalibus ſacro textui auctoritas accedit; vel, vt ſic loquar, canonizatio & authentica ratio: Concilium igitur iudicat de verbo Dei, tum ſcripto, tum etiam tradito; igitur Sacra Scriptura iudex non eſt, cùm alterius iudicio ac ſententiæ ſubiiciatur.

VI. Adde, quòd textus ſacer diuerſo idiomate ſcriptus fuit; Hebraico, Græco, Latino; ſi autem iudex eſt in Controuerſiis fidei, cum iis profectò malè agetur, qui linguas illas minimè intelligunt; immò Chriſtiani nominis hoſtes conſulendi eſſent, Iudæi ſcilicet, & Schiſmatici, vtpote linguarum illarum peritiſſimi, vt varios verſionum ac expoſitionum nodos nobis ediſſerant; qua autem fide, æqui rerum æſtimatores viderint; quaſi verò fides noſtra Rabinorum dicto & iudicio ſtare debeat? præterquàm quòd autographum deeſt, nec vſpiam reperitur; quod tamen, ſi ſcriptis ſtandum eſt, producendum & conſulendum eſſet, perinde atque publicum

instrumentum; nec enim de apographo mihi constat; quasi verò ignoti amanuensis fides, nostræ fidei fundamentum esse possit? Adde varias interpretum versiones, qui cùm errare potuerint, inde constat, Scripturam, quam ab iis accepimus, fidei iudicem non esse. Si enim hanc, vel illam versionem obtrudis pro legitima, quid quæso repones, si pro legitima non admittam? quo tandem argumento id euinces? an fortè doctrinam, peritiam, diligentiam interpretis laudabis? sed homo fuit, ac proinde errare potuit, nisi diuino Spiritu afflatus fuerit; quod quia incertum est, incerta etiam eius fides manet.

VII. Equidem sacræ paginæ consulendæ sunt, & Christus Dominus scripturas scrutari iubet, quas & ipse non semel citauit; Petrus, Paulus & Stephanus magistrum imitati, ad faciendam dictorum fidem, ea selectis & appositis sacri textûs locis firmarunt. Id certè optimum factu est, ea citamus, vt sacras leges & testimonia, non verò vt iudices; iis nos instituimur, inde ad refellendos errores argumenta ducimus, spem nostram alimus atq. fouemus. Quid plura? sacras paginas non modò admittimus, sed legimus, veneramur, osculamur; in iis enim habemus decreta, promissa, statuta, & leges Dei; sed illas accipimus à magistratu viuente, à quo publicantur, promulgantur, proponuntur, exponuntur, ídque eiusdem Spiritus operâ, quâ conditæ sunt; quod reuerà nisi fiat, nuda litera sine prædicto spiritu occidit; quis enim tot nodos soluere, tot linguas ac versiones

siones callere, tot ænigmata explicare, tot tropos, metaphoras, allegorias intelligere; tot demum controuersias & lites decidere valeat, nisi legitimus aliquis iudex sit, qui omnis erroris expers, de iis sententiam ferre possit?

VIII. Itaque Christiana respublica præter sacros codices, in quibus diuina oracula & statuta continentur, Iudicem aliquem habet, cuius auctoritas eiusdem legis promulgationem antecessit; legis enim promulgatio promulgantis auctoritatem supponit, quâ nisi polleat, iis legibus homines adstringi non possunt, cùm legitima publicatio quasi neruus legis censeatur; & si quando accidat, nonnihil in sacro textu obscurius esse, aut dubiam alicuius loci interpretationem, eiusdem auctoritatis est, quæ priùs legem condidit, eandem interpretari, eodem scilicet spiritu, quo condita est; hoc autem ad Iudicem spectat. Sacra igitur Scriptura iudex non est, alioquin suî iudex esset, cùm in iudicium sæpe vocetur, quod nemo sapiens dixerit. Itaque Scriptura non est Iudex, 1. quia Iudicis est ita sententiam ferre, vt deinde partibus innotescat, quod Scripturæ non competit. 2. in Scriptura duo sunt, litera & sensus, illa occidit, hic obscurus est. 3. multa in controuersiam cadunt, quorum Scriptura non meminit. 4. quia de ipsa Scriptura non rarò disceptatio est. 5. quia nunquam vsus obtinuit, siue in Veteri, siue in Noua Lege, vt Scriptura Iudex esset. 6. in Iudiciis politicis & ciuilibus, lex scripta iudex non est, sed magistratus.

IX. Quod autem de verbo scripto hactenus dictum est, in traditionibus locum etiam habet; cùm enim fabulæ quoque à maioribus ad posteros transmittantur, vt veras à falsis, diuinas scilicet ab humanis distinguere valeamus, alio iudice opus est, qui eodem instructus spiritu, ac omnis erroris immunis, eos errare non sinat, à quibus consulitur. Prætereà cùm traditiones sacris libris commissæ non sint, aliquem esse oportet, qui earum curam gerat, eásque intactas & integras seruet, alioquin facilè mutari possent; quid enim quæso est, quod tempus non mutet, nisi ab æterno illo spiritu à temporis iniuriis vindicetur?

DATVM DECIMVMQVARTVM.

In iisdem Controuersiis internus cuiusque Spiritus Iudex non est.

I. INterni spiritûs nomine, illius assertores intelligunt interiorem quandam testificationem, quam quisque in se experitur, quáque, si Superis placet, inducitur ad verum à falso discernendum; hunc nonnulli in dubiis & cõtrouersiis fidei iudicem perperàm esse contendunt; nam cùm iudex in materia diuinæ fidei erroris expers esse debeat, & cùm omni spiritui credendum non sit, sed singuli spiritus probandi; haud dubiè restat, vt interior ille spiritus fidei controuersias terminare non valeat. Dicis enim, mi homo, te diuino spiritu agi: quamdiu

diu nullum errorem effutis, piè crediderim, non tamen certus sum; neque tu ipse certus es, alioquin cum eodem iure quilibet alius hunc sibi adstruere possit, qui tamen contraria sentit, vtri credendum sit, non video: mihi, inquies, qui vero Dei spiritu ducor; at ille idem de se testatur; cur tibi potiùs, quàm illi fides habenda est?

II. Dices fortè tuum sacris paginis firmari, quisquis enim diuinis oraculis insistit, spiritu Dei agitur; nempe oues Christi vocem illius audiunt. Sed ô bone, ille quoque pro Christi oue se gerit, séque illius vocem audire testatur; vtri ergo credendum? Scriptura interioris illius spiritus, qui te agit, iudex esse non potest, quia de ipsa scriptura sæpe ac sæpius cõtrouersia est. Nec tuus spiritus Scripturæ iudex esse poterit; quo enim iure, quod mihi quoq; nõ competat, qui à te contraria sentio? idem autem Spiritus veritatis contraria non adstruit, vna enim veritas est; igitur alio iudice opus, qui nostram hanc litem diiudicet; & vitiosus omnino circulus est, in quo scilicet impij ambulant, dum Scripturam probant per interiorem spiritum, & hunc, per Scripturam iudicant.

III. Prætereà si spiritu illo interiore instruimur, frustra doctores consulimus, & disputationes instituimus; frustra concilia congregantur; frustra Petrus oues & agnos Christi pascere, & fratres suos in fide confirmare iubetur. Nam vel electi sunt, vel reprobi: si electi, Dei spiritu aguntur fallere nescio; alia igitur testificatione non indigent: si reprobi,

cùm illo spiritu destituantur, æterni Patris vocē audire non possunt. Deinde vel ille spiritus nunquam fallit, vel aliquando errat; si primū, cur tot dissidia? cur idem omnes non sentiunt & dicunt? cur tot diuinæ fidei adminicula accersuntur, cùm errori locus esse non possit? si verò secundum, quis amabò vnquam certus erit? erras fortè, cùm maximè ab errore discedere putas. Dices, nunquam eos falli ab interiore spiritu, qui scripturis adhærent: Hoc ipsum est, quod hæretici omnes plenis concrepant buccis; num vides, de ipsa Scriptura, non minorem esse controuersiam, quàm de interiore spiritu? quid ergo dubium, per dubium probas? ignotum, per ignotum? quasi verò Lutherani & Caluinistæ in scripturis conueniant.

IV. Sed oues Christi eius vocem audiunt: rectè; Christi vocem audit, qui Ecclesiam & Pastores à Christo relictos audit, nempe qui vos audit, me audit. Sic etiam docemur à Domino, sumúsque, vt Ioannes loquitur, docibiles Dei, quibus scilicet Deus non in Prophetis, sed in Filio locutus est, qui non modò exteriùs voce nos docet, sed interiùs adiuuat, vt credamus, & faciamus, quæ suggerit. Quod autem idem Euangelista monet, necesse non esse, vt aliquis nos doceat, sed vnctionem eius, qui docet nos, sufficere; interiorem illum spiritum non modò non adstruit, sed destruit; nempe id vnum duntaxat ab iis, quos in Christi fide instituerat, exigit, vt in ea doctrina manerent, quam interioris operâ gratiæ, quam vnctio illa significat, ab Apostolis acce-

ceperunt; cùm nouis doctrinis opus non esset, quas Pseudo-Apostoli disseminabant; hinc eos ibidem hortatur, vt in eo permaneant, quod ab initio audiuerant. Quid porro hæc ad interiorem illum spiritum, non video; non negamus tamen Spiritum sanctum, per gratiam in cordibus nostris habitare, nósque suis motionibus & impulsibus ad bene agendum excitare, impellere, trahere, &c.

V. Multæ aliæ rationes congeri à me possunt, vt probem, interiorem illũ spiritum regulam, aut iudicem in cõtrouersiis fidei definiendis, nullatenus esse. 1. Fides ipsa vna est omnibus fidelibus communis; igitur regula fidei vnica; illud Datum decimum fuit, hoc duodecimum; sed spiritus interior multiplex est, vt constat; regula igitur fidei non est, & multò minùs iudex; regula enim seu mensura adæquat id, cuius regula est. 2. Fidei regula certa esse debet, erroríque minimè obnoxia, quod certè haberi non potest, nisi Spiritus veritatis assistat, & insit; sed hæc Spiritus sancti opera singulis fidelibus promissa non est, sed Ecclesiæ & Pastoribus; quisquis enim hoc adstruit, id probet. Scio afferri ad hunc finem nonnulla sacri textûs loca, sed iam passim difflata sunt, & de ipsis tecum litigo; consule igitur alium iudicem; immò cùm libros Canonicos ab Apocryphis discernas, id sanè interiori spiritui minimè tribues. 3. Prætereà ille interior spiritus hæreses hactenus & schismata peperit, & dissensionum causa fuit, cùm vix duos inuenias, qui in illo conueniant; fidei igitur regula & fundamentum esse non potest. 4. Ex

eo fit, nullum fore terminum illarum Controuersiarum, quæ ad fidem pertinent; nempe tu spiritum veritatis tibi arrogas, nunquam assentiar; nisi ergo aliquis iudex priuatis omnium iudiciis præsit, qui litem decîdat, æternam fore necesse est. Deinde si priuatus ille spiritus in re fidei iudex est, nullus esset hæreticus, & nulla hæresis; quidquid enim mens interiùs suggeret, pro Spiritûs sancti oraculo habebitur, quod absurdum est. Denique, ille interior spiritus mille & mille illusionum erroribus aditum aperit, Angelus enim Sathanæ induit personam Angeli lucis.

VI. Hoc tamen non obstat, quin interior ille spiritus nos moueat, & charitatem in cordibus nostris diffundat; illæ autem motiones iisdem cordibus impressæ, & afflati halitus recognosci ac recenseri debent, probaríque instituto examine. Hinc Deus in sacris paginis nos monet, vt spiritus probemus, aut si quisque per se ipsum discernere nequeat, Ecclesiam Pastorésque nostros consulamus, qui cùm nos pascere & regere debeant, quasi rationem animarum nostrarum Deo reddituri, quid mirum, si dubia & difficultates nostras dissoluant, adhibitâ scilicet diuinarum institutionum, seu scripto seu nudo verbo traditarum operâ; aut certè si in ipsa scriptura aliquis dubio locus sit, vel in ipsa traditione, litem ipsi virtute sancti Spiritûs assistentis definiant; in quo certè errare non possunt, vt paulò pòst euincam: porro interpretatio priuata sacri textûs, cuiuslibet do-

ctoris

ctoris est; at verò canonica, iudicis errare nescij. Igitur vt tandem concludam, spiritus ille interior in Controuersiis fidei iudex esse non potest, nec regula, nec fundamentum; alioquin fides nostra certa non esset; immò ausim dicere, nihil ferè esse, quod maiore & diligentiore examine indigeat, cùm ab illo homines in errorem nullo negotio induci possint; igitur cùm nec res certò definiat, nec legitima auctoritate nitatur, & sæpe sibi contradicat, diuinæ veritatis ac fidei nostræ regula esse non potest.

VII. Equidem singulari Dei beneficio & priuilegio factum est, vt nonnulli eiusdem Spiritûs sancti illapsu controuersias & nodos ad diuinam fidem pertinentes illico soluerint; sed pauci, quos æquus amauit Iupiter; hæc communem hominum morem superant, & rarò contingunt, cùm Deus illustri & singulari sanctimoniâ homines huius honoris gratiâ dignetur. Denique ita Deus constituere poterat, vt singulos interior spiritus abundè doceret, & instrueret; si enim vni hoc munus concessit, omnibus concedere posset; quod autem res ipsa aliter se habeat, vel ex eo patet, quòd interior spiritus vnius, alterius spiritui aduersetur, cùm tamen vnus idémque sit spiritus veritatis, & semper secum ipse consentiat.

DATVM

DATVM DECIMVM QVINTVM.

In propria causa nemo Iudex est.

I. De re maximi momenti agitur, æterna scilicet cuiuspiam salute, quâ si semel excidat, restituendi rem nulla spes affulget; in qua si semel erretur, irreparabilis error est: maxima igitur cautione opus est, & maxima diligentia adhibenda, ne in errorem inducamur. Nullus hîc pertinaciæ, nullus factioni locus sit; summa rei est, aleæ minimè committenda, sed maturè consideranda ac ponderanda, non temerè, nec tumultuosè tractanda; pro qua, nihil amicis, nihil parentibus, nihil tempori dandum, sed præ illâ cætera floccifacienda; quid enim homini prodest, si vniuersum mundum lucretur cum animæ suæ detrimento?

II. Contendo tecum, Adiaphore, non contentionis, vt vincam; sed charitatis studio, vt tuæ saluti consulam, & te lucrifaciam Christo. Contendo, inquam, extra Romanam Ecclesiam te saluari non posse; contrarium asseris, ac tuam defendis religionum indifferentiam; en causam & litem; quis tandem arbiter erit? quo iudicio standum? In hac causa, quæ ad te pertinet, iudex non eris; tibi fortè suspectus sum: prætereà cùm homines simus, falli & fallere possumus; nulla tamen causa sine iudice; hæc porro, in qua tua salus vertitur, incorruptum postulat, & fallere nescium. Officiosus monitor in-

sto,

ſto, priuatus tamen, audire ſi renuis, teſtes accerſo; ſi peruicax manes, rem ad Eccleſiam defero, inde rectum iudicium expecta, & canonicam ſententiam, & ſi Eccleſiam non audieris, Ethnici & Publicani loco mihi eris.

III. Iudex in propria cauſa eſſe non potes: ſi parentes actoris iure defenſori ſuſpecti ſunt, & defenſoris, actori, ac proinde repudiari iure ac reiici poſſunt; multò magis ipſe iudex in propria cauſa ſuſpectus erit. Hinc ſi quid fortè litis Principem inter & ſubditum intercedat, Princeps alterius ſubditi iudicio vltrò ſe ſubiicit, quod certè in omni republica rectè adminiſtrata locum habet: in ſuis quiſque rebus cæcutire ſolet; cùm enim noſtri amantiores ſimus, hæc perturbatio rationi tenebras offundit; hinc minùs rectè de nobis rebùſque noſtris iudicamus. Hinc ſi fortè medicus decumbit, alterius medici curæ ſe credit; & ſi quid vitij oculo inſit, alterius oculi adhibes operam; oculus enim cætera quidem, at ſe ipſum non videt.

IV. Præterea iudicandi actus auctoritatem & iuriſdictionem in Iudice ſupponit; quod reuerà qui neget, neminem arbitror eſſe, cùm per ſe ipſum notum ſit; at nemo ſibi ſubditus eſt, vel ſuæ auctoritati ſubiicitur; hæc enim reſpectum, vt vocant, & habitudinem ad alium habent. Denique ſi cuiuis in propria cauſa iudici eſſe licet; in cauſa, inquam, ſalutis; fruſtra œcumenica concilia conuocantur, fruſtra tot libris & ſacris commentariis vtriuſque linguæ Patres Eccleſiam illuſtrarunt; fruſtra Paulus

Apo-

Apostolus de hominum salute adeò sollicitus erat; hæc & alia multa omnino frustra essent, si quilibet in propria causa iudex esset.

V. Et verò de prædio non iudicas, de anima iudicares? pro rebus caducis alterius iudicis sententiæ subiiceris, pro æternis subiici recusas? quisquis potestati resistit, Deo resistit; doctores Deus instituit, vt te doceant; pastores, vt pascant; magistros ac moderatores, vt regant; tui iuris non es, sed Dei; ac proinde iis subiici debes, quos tibi Deus præfectos esse voluit; hos duces sequere in via salutis; consule in dubiis; licèt fides nostra diuina sit, eam tamen ab hominibus nobis tradi & exponi iussit. Homines humano modo regi vult; ab aliis scilicet hominibus, quibus suas ipse vices commisit; quósque omnis erroris immunes reddidit, ne si fortè illi errarent, Deus ipse, cuius vices gerunt, errare diceretur; hinc Deum audit, qui doctores ab eo ad id muneris institutos audit; & quisquis hos spernit, Deum spernere censetur.

VI. Itaque cùm nemo Iudex sit in propria causa, & cùm aliquo iudice opus sit, in causa ista grauissima, errori scilicet minimè obnoxio, iam tui muneris est, & officij, iudicem illum consulere, quem cùm in illo interiore spiritu non inuenias, nec in sacris Codicibus, nec in ipsis traditionibus, nec in te ipso, nec in mortalium quopiam, qui priuata duntaxat auctoritate polleat; hoc vnum restat, vt Ecclesiam consulas, in qua certam & vltimam fidei regulam, diuinæ veritatis firmam columnam & fundamentum,

tum, omnium denique, quæ ad rem hanc pertinent, controuersiarum, omnis erroris immunem Iudicem inuenias: sed de his infrà fusiùs agam.

DATVM DECIMVM SEXTVM.

Auctoritas Iudicis legitima esse, idque partibus constare debet.

I. IVdicium, actus iuridicus est; & nemo iudex esse potest, qui publicam personam non sustineat, cuius anima & forma auctoritas est; hinc quisquis iudicandi auctoritate caret, iudicis munere fungi non potest: quod adeò perspicuum est, vt nullus dubio locus supersit; si enim te vltrò ingeris, quis te constituit iudicem? quo iure litigantes tuæ sententiæ ac iudicio acquiescent? si iure omni ac iurisdictione cares, consilio quidem alios iuuare poteris, non tamen latâ sententiâ motas componere lites; auctoritas igitur in Iudice necessaria est, eáque legitima, nisi enim legitima sit, nulla est, vt patet.

II. Auctoritas autem ad iudicandum in rebus fidei, non humana, sed diuina res est; tum quia iudex in Controuersiis fidei erroris immunis esse debet; quæ sanè immunitas vel prærogatiua homini non competit, qui à natura ita comparatus est, vt errori obnoxius sit; nempe omnis homo mendax; humana igitur illa auctoritas non est, quæ hoc priuilegio gaudet, sed diuina; à Deo igitur deriuata in homi-

nes

nes atq; profecta. Hinc ridebis sæculares illos Principes, qui rebus sacris profanas manus admouere non dubitant, nouos in re fidei canones condere, priscis abrogatis, conciliis præesse, ritus inducere, Sacramenta mutare; ac multò magis doctores illos, qui id sibi iuris arrogant, vt Controuersias fidei definire, ac diuina oracula populo exponere valeant. Quo iure id facis, mi homo? qua auctoritate? quis hoc tibi munus credidit? Deus, inquies; vbi signa & testes? vbi patentes literæ? Spiritu Dei agi me sentio, etiam iurato non crederem; illa igitur auctoritas definiendi causas fidei à Deo est; atque ab eo in eos deriuata, quibus ea cura incumbit.

III. Porro litigantibus hæc Iudicis auctoritas perspecta sit; alioquin perinde se habet, quatenus ad illos spectat, atque si nulla esset; nec enim eius dictis, aut decretis stabunt, quem iudicandi facultate instructum esse ignorant; quatenus, inquam, ad illos spectat. Nempe non propterea illa iudicandi potestate priuatur, licèt nonnulli eam minimè concedant, vel ignorantiæ vitio, vel pertinaciæ studio; quia tamen illis inutilis est, cùm ~~eum~~ eâ vti nolint, perinde illis est, atque si non esset; cùm nullum ex ea fructum referant; non tamen stat per Iudicem, sententiam ferre paratum, sed per eum, qui iudicem repudiat, ne suos errores dimittere cogatur.

IV. Prætereà ille in re fidei certus esse non potest, qui nullam fidei certam regulam, nullum in Controuersiis certum Iudicem agnoscit. Quòd autem diuina fides certa sit, perspicuum est, cùm per eam

eam diuinis oraculis firmiter assentiamur. Igitur nō modò certum,& fallere nescium iudicem esse oportet, verùm etiam nobis compertum esse, necesse est, quisnam ille sit; vt scilicet eum adire, & consulere valeamus; immò mediocris & probabilis duntaxat coniectura non sufficit, cùm de illo illiúsque auctoritate, certi esse debeamus, alioquin fides nostra perpetuò vacillabit.

V. Vnde porro constet illa auctoritas, & iudex, cui cælitus attributa est, vt sine vitioso circulo ostendatur, vnum suppono, quod certissimum est, & ex suprà dictis perspicuum diuinæ sapientiæ ac prouidentiæ fuisse, certam fidei regulam, ac certum controuersiarum iudicem statuere, quem homines, ad æternam beatitudinem destinati consulere possint; alioquin frustra Deus ab iis certam fidem,ac firmam mentis adhæsionem & subiectionem exigeret: nec modò illum statuere, verùm etiam certis & probatis signis designare ac distinguere debuit; quid enim iuuaret, iudicem illum constitutum esse, quem homines non cognoscerent?

VI. Quòd autem Deus aliquem constituerit, ac suis characteribus designârit, ex diuinis oraculis constare debuit, tum scripto, tum nudo verbo traditis,& ad nos vsq; transmissis; loquitur enim Deus, vt sua nobis decreta significet. Præter scriptum verbum, traditum etiam esse oportuit; nempe ex communi traditione sacros codices & libros canonicos accepimus, quâ etiam tenemus, certum & fallere nescium, in causis fidei & morum iudicem à Deo

creatum fuisse: sed profectò nutaret etiam traditio, & vix certam ab incerta distinguere homines possent, nisi Spiritûs sancti adiutorium ita præsens Ecclesiæ adesset, vt illa in re fidei errare non posset, ac proinde certum omnísque erroris expers, de controuersiis, de libris canonicis, de ipsis quoque traditionibus, iudicium ferre posset, quo deinde homines starent: sed hoc cap. sequenti discutio.

DATVM DECIMVM SEPTIMVM.

In Ecclesia, suprema, absoluta, & vsque ad extremum duratura potestas est iudicandi, ligandi, soluendi, &c.

I. Ecclesiam in terris à Christo relictam esse, congregationem scilicet fidelium, eiusdem fidei vinculo coniunctorum, nemo Christianus negat; certam item fidei regulam esse, ac certum, & ab eodem Christo institutum designatúmque iudicem, pro iis controuersiis, quæ ad fidem & mores pertinent, definiendis, qui legitima, errorísque immuni auctoritate polleat, ex datis præmissis perspicuum est; vnde, ni fallor, concludi potest, prædictam auctoritatem & iudicandi potestatem, in Ecclesia duntaxat esse; si enim est, vt reuerà esse non negas, in Ecclesia duntaxat est. Dices fortè Spiritum sanctum esse iudicem fidei; rectè, is enim Spiritus veritatis, qui nec falli, nec fallere potest; sed cùm non per se ipsum immediatè, vt aiunt, sed adhibito alicuius ministerio sententiam ferat, ac di-

diuina declaret, aperiátque oracula, illum certè, cuius operâ vtitur, non Angelum, quod hominum rectio non postulat, sed hominem intra Ecclesiam esse oportet; quis enim ab infidelibus regulam fidei accipiat? igitur in Ecclesia prædicta facultas & potestas est.

II. Porro illa vel singulis fidelibus seorsim inest, quod ex suprà dictis falsum esse constat; vel omnibus coniunctim; vel alicui, qui caput est; vel nonnullis coniunctim, quatenus totam Ecclesiam repræsentant, gerúntque omnium vices. Tota Ecclesia errare non potest; alioquin illa potestate careret, quæ cum errore coniuncta esse nequit, & portæ inferi aduersùs eam præualerent; tota verò Ecclesia omnes fideles complectitur. Cùm igitur fieri non possit, vt omnes Christi fideles controuersias fidei coniunctim definiant, cùm in vnum cogi non valeant, igitur nonnullis ea facultas inest, nobilioribus scilicet membris, quæ aliis præsunt; Ecclesia enim corpus quoddam est, cuius Christus caput, & Petrus eius Vicarius, & alij pastores nobiliorum membrorum loco sunt. Quis autem neget, inter eiusdem corporis membra, eam graduum & functionum diuersitatem intercedere, vt nobiliora regant & præsint, inferiora verò seruiant atque regantur?

III. Ridiculum vel solùm dictu est, quòd pedes caput consulat, iisque regendi munere cedat; Christus ita Ecclesiam suam instituit, vt Petrum & Apostolos vt præcipuas illius partes elegerit: *Non vos me elegistis,* inquit, *sed ego elegi vos, vt eatis & fructum*

afferatis; in ministerio scilicet Euangelij, & diuinorum mysteriorum administratione; facta iis potestate remittendi peccata, ligandi, soluendíque; Petro præsertim, clauibus regni cælorum eidem collatis, datóque præcepto pascendi oues & agnos, ac fideles & fratres potissimùm id fide confirmandi. Hos, inquam, pastores instituit, ac eosdem arcanorum suorum participes fecit, vt deinde à Christo excepta, reliquis exponerent, quorum curam iisdem ita credidit, vt animarum nostrarum rationem essent redditurí.

IV. Hinc si quis inter fideles peccare, præsertímque à recto fidei tramite, cum aliquo scandalo, deflectere videtur, deferendum esse ad Ecclesiam iubet. *Dic Ecclesia*, inquit, &: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ecclesiæ certè nomine, omnes fideles hoc loco non veniunt; alioquin ridiculum & impossibile præceptum esset; pastores igitur, qui aliorum curam gerunt, & totam Ecclesiam repræsentant. *Dic Ecclesia*, Præsulibus scilicet, ac Præsidentibus, vt ait Chrysostomus, qui teste Augustino totam Ecclesiam exhibent, & quibus iudicandi ac regendi potestas facta est; hinc si quid fortè dubij suboriatur, consule Ecclesiam: sic olim Antiocheni legatos Hierosolymam miserunt, qui eorum nomine, Apostolos de religione consulerent. Dic Ecclesiæ, non Ecclesiis; vna enim est Ecclesia, & hic singularis illius character est; vnum corpus, sub vno capite; vnum ouile, sub vno pastore; vnum regnum, sub vno rege, aut rectore; vnica spon-

sponsa, vni sponso ac dilecto suo coniuncta; vna domus sub vno Patrefamilias. Quid plura? in sacris literis diuersis nominibus illustratur, atque inde Patres templum, nauem, exercitum, ciuitatem, arcem appellant; sacerdotem igitur hoc templum; nauclerum, nauis; ducem, exercitus; magistratum, ciuitas; & arx, præsidem desiderant.

V. Hæc autem Ecclesia columna est & firmamentum veritatis; igitur errori minimè subiacet; alioquin veritas ipsa errore fulciretur, quod dici nõ potest. Ecclesiam verò hoc loco Paulus pro domo Dei, in qua Episcopus Timotheus conuersabatur, accipit, pro sacro scilicet Pastorum ac Præsulum cœtu. Ecclesia quoq; Regnum Christi est, quod suis Apostolis disposuit, & cuius administrationem eisdem contulit; eam scilicet, quam ab æterno Patre acceperat Regnum, inquam, simul & Regina, quę adstitit à dextris Sponsi, quámq; indissolubili casti coniugis nexu in æternum sibi sponsauit; columba illa vnica, sine macula & ruga; vno verbo, Christus Apostolis suis veritatis Spiritum promisit, & dedit; quem mittam vobis à Patre, quíque vos omnia, ad rem fidei pertinentia docebit; stetit pactis, ac deinde repleti sunt omnes Spiritu sancto.

VI. Præterea vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; in nomine Christi congregati sunt, qui vices illius gerunt, potestate sibi ab eo facta, quíque pro eo, legatione funguntur, homines Deo reconciliantes in ædificationem Corporis Christi; igitur in medio eorum

Christus est, per Spiritum suum, cuius ductu, Ecclesia errare non potest, in definiendis fidei controuersiis, & regulis morum tradendis; hinc omnibus diebus vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi: quin verò ille pactis steterit, qui etiam, si vellet, fallere non potest. Quid porro est in medio pastorum, ac rectorum Ecclesiæ esse, nisi eosdem hac prærogatiua instruere, vt errare nequeant; quisquis enim vos audit, me audit; dum igitur ipsi loquuntur, ipse Christus loqui censetur, Christus autem errare non potest.

VII. Itaque in Ecclesia est auctoritas iudicandi ac decidendi res fidei, errori minimè obnoxia, alioquin si in iis Ecclesia erraret, sponsa Christi sine ruga & macula non esset; illa Dei domus nutanti fundamento fulciretur; Christus promissis suis non staret; Spiritus veritatis aliquando abesset; Portæ inferi aduersùs eam præualerent; illa Dei ciuitas sine magistratu, mera Babylon esset; regnum illud in se diuisum; templum illud sine sacerdote legem excelsi conseruante; corpus illud sine anima, fides nostra sine regula: quis de Deo talia sentiat, quæ mortalium imprudentissimo vix in mentem venirent?

VIII. Nec vllus circulus timendus est, dum Ecclesiam per Scripturam, & hanc, per Ecclesiam confirmamus; nam qui de Scriptura non dubitat, in ea legit, quæ auctoritatem Ecclesiæ prorsus euincunt; illi autem, quibuscum ago, Scripturam admittunt; qui verò Ecclesiæ auctoritatem agnoscit, inde librorum sacrorum comprobationem deducit;

hinc

hinc si alterutrum supponitur, circulus profectò non est. Ecclesia porro auctoritatem sacris libris conciliat ex traditione, quâ tenet, hos reuerà libros legitimos & canonicos esse; porro ipsas quoque traditiones veras à fictis & ascititiis Ecclesia discernit, eo scilicet spiritu veritatis instructa, quo falsum à vero discernitur; vnde si quis non scripturam modò, sed traditiones omnes, atque adeò Ecclesiæ auctoritatem pernegaret, aliis profectò rationum momentis, ab errore vindicandus esset, ductis scilicet ex præmissis datis: sed de iis agendi hîc profectò locus non est. Illud autem cæteris præmitti posset, à Deo scilicet aliquam fidei regulam relictam, ac certum controuersiarum Iudicem, in re fidei, mortalibus datum esse; alioqui rei sacræ, quod certè illius sapientiæ est, minùs rectè consultum esset.

IX. Porro illa auctoritas suprema est, cùm nullam superiorem in terris agnoscat, nec ab eius sententia appellatur; nempe cùm Christus sit supremus Iudex & Princeps, Rex scilicet Regum, & Dominus Dominantium, cui omnis potestas à Patre data est, tum in cælis, tum in terris; & cùm potestas Christi, Ecclesiæ potestas sit, cujus Christus caput est, & sponsus; haud dubiè tribunal Ecclesiæ, tribunal Christi est. Hinc ab Ecclesia ad Christum appellatio non datur; nec enim ab eodem Iudice ad eundem appellatur, vt patet: hinc rideas illum, quem aliqui adhibent agendi modum, qui à Pontifice minùs certiore facto, vel, vt ipsi loquuntur, minùs informato, ad eundem meliùs edoctum,

vel informatum appellare solent; vel à Pontifice ad concilium, aut à concilio legitimo, ad Pontificem; nempe vt Ecclesia vna est, ita vna auctoritas, vna potestas, vnum tribunal est.

X. Eadem auctoritas absoluta est, ad omnes scilicet diuinæ fidei causas; nempe quidquid solueris, aut ligaueris, erit solutum aut ligatum; & quacunque dixerint vobis, seruate. *Quidquid & quacunque*, omnia complectuntur, & nihil excipiunt: prætereà si aliquid exciperetur, ad fidem & mores pertinens, quod Ecclesiæ iudicio subiectum non esset, in eo fides nostra nutaret, vt patet; cùm certâ regulâ ac certo fundamento careret: deinde nihil prorsus assignari potest, quod Deus ab Ecclesiæ potestate exemerit, ex iis scilicet, quæ ad res sacras & diuinum cultum pertinent. Sed, inquies, Ecclesia nouos fidei articulos condere non potest; quid tum? nihil tamen est, quod ab Ecclesia declarari non possit, ad fidem scilicet pertinere, vel non pertinere: sed cùm hoc vnum sit ex aduersariorum effugiis, tertio libro de illo dicendi locus erit.

XI. Hæc demum auctoritas ad finem sæculi permanebit; nempe vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi; & sponsabo te mihi in sempiternum, nec portæ inferi vllo vnquam tempore aduersus Ecclesiam præualebunt; quod tamen accideret, si aliquando Ecclesia prædicta auctoritate careret; Christus denique Apostolos misit, vt fructum afferant, & fructus illorum maneat. Prætereà eadem ratio, quâ probamus, Ecclesiam illa pote-

testa-

testate modò pollere, pro omni tempore militat, & si aliquando Deus illam reuocaret, non iam Deo dilecta ciuitas, sed mera Babylon esset. Porro illa potestas successionis iure ab Apostolis in eorum successores traducta est, vt ex dictis perspicuum fit; alioquin post mortem Apostolorum nulla esset ampliùs Ecclesia, nullum Christi regnum, nulla sponsa: & verò nullus hactenus hæreticus negauit, quin Ecclesiā Apostoli post se reliquerint. Sed, inquiunt, vitium deinde contraxit, & in mediis persecutionibus extincta est: at si in successores Apostolorum præfata potestas traducta est, quid ni ab his in alios deinde, atque alios, ad nostra vsque tempora, & hinc ad sæculi finem; cùm eadem Christi verba id probent? Vel enim solis duntaxat Apostolis concessa est, aut si in eorum successores traducta, quamdiu profectò successores erunt, tamdiu Ecclesia erit, & in Ecclesia plena potestas atque facultas decidendi fidei causas: datur igitur in Ecclesia prædicta auctoritas, eáque suprema & absoluta ad extremum vsque duratura.

DATVM DECIMVM OCTAVVM.

Romana Ecclesia est vera Ecclesia, atque in ea homines saluari possunt.

I. Ecclesiam Romanam veram esse Ecclesiam, atque adeò in illa quemlibet saluari posse; Adiaphori nostri non negant. Et verò cùm illa vera & legitima Ecclesia sit, in qua est suprema & absoluta auctoritas iudicandi, ligandi, soluendi, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt; illa, inquam, quæ columna & fundamentum est fidei, illa Christi sponsa dilecta, illa Dei domus & templum, illa militans Hierusalem, illa quam consulere atque adire iubemur, *dic Ecclesiæ*; illa supra firmam Petram ædificata, illud Christi Regnum, quod Christo Pater æternus, & Christus Apostolis eorúmque successoribus disposuit; illa ciuitas supra montem posita, quæ abscondi, vel latere nequit, illud Christi corpus, in cuius ædificationem, consummationem, & ministerium pastores & doctores instituit; illa, inquam, vera est Ecclesia, quæ vnitate fidei, & morum sanctimoniâ pollet, erroris nescia, impugnata quidem, sed nunquam expugnata, vna, sancta, Catholica & Apostolica.

II. Nemo est, qui nesciat, has veræ Ecclesiæ notas esse; quæ reuerà vel nulla est, vel talis est; quòd autem Romana talis sit, facilè demonstratu est; nempe successionis iure, omnes illas dotes adepta, quibus vera à spuria distinguitur, pro spuria haberi non po-

test. Quòd autem facultas illa ac iudicandi potestas erroris immunis; quæ singularis character est illius Ecclesiæ, cui spiritus veritatis errare nescius semper assistit, successionis duntaxat iure acquiratur, quis amabò est, qui neget? cùm immediatè (vt aiunt) à Christo, Petro attributa fuerit; qui, vt Augustinus ait, solus inter Apostolos meruit audire: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum: felix Ecclesiæ fundamentum, vt ait Hilarius, dignáque ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret; immò vt vnus Deus est, ait Cyprianus, vnus Christus, vna Ecclesia; ita vna Cathedra veritatis, supra firmam petram fundata.

III. Sed, inquies, illa potestas data est Ecclesiæ, quisquis enim Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Quis neget, Ecclesiam hac potestate pollere, in pastoribus suis, præsertímque in visibili Ecclesiæ capite Petro, in quo tota Ecclesia continetur, vt populus in Principe? hinc, qui vos audit, me audit: & Apostoli eorúmque Successores totam Ecclesiam repræsentant. Eadem est Ecclesiæ & Petri auctoritas; immò in Petro Ecclesiæ concessa; nempe, vt cum Cypriano dicebam, Cathedra veritatis, id est, infallibilis iudicandi facultas, in Petra & Petro fundata; hinc meritò totius Ecclesiæ fundamentum est. Itaque Ecclesia illa vera est, quæ Ca-

thedram veritatis obtinuit; illa porro supra Petrum fundata est; atque adeò vera Ecclesia, super hanc Petram ædificata; illa igitur Ecclesia vera est, quæ hanc Petram pro suo fundamento agnoscit; illud Christi regnum est, cuius Petrus Princeps est; illud germanum corpus, cuius Petrus visibile caput; illud ouile, cuius Petrus pastor; illa nauis, cuius Petrus nauclerus. Quid plura? illa vera Ecclesia, quæ Apostolos quidem omnes, sed principem Apostolorum Petrum agnoscit.

IV. Quòd autem Romana Ecclesia illa sit, quæ Petrum eiúsque successores Romanos Pontifices, supremorum Rectorum loco semper habuit, certo certius est. Nempe inde Romana dicitur, quòd Romanos Episcopos agnoscat, ac sese illorum ditioni subiiciat: hinc Caluinistæ Papistas nos appellant, quòd D. Papæ, Romano scilicet Pontifici vltrò subditi simus. Romana igitur Ecclesia vera est Ecclesia, quæ scilicet in Petro extincta non fuit, alioquin ciuitas parùm munita fuisset, & Portæ inferi aduersùs illam præualuissent. Petri ergo Successores illius curam gesserunt, Ecclesia, inquam, prædicta facultate prædita, nec enim Ecclesia stare potest, vt columna & firmamentum fidei & veritatis, nisi præfata auctoritate polleat, & à spiritu veritatis regatur, in Romano scilicet Pontifice, aliísque sub eo pastoribus, in quos illa infallibilis auctoritas, successionis iure, traducta est: cum iis Christus est, ad consummationem vsque sæculi, per Spiritum sanctum, cuius ductu gregem Dominicum regunt; Re-

gni Christi non erit finis; cùm tamen Petrus vitâ functus, finem habuerit; Regnum verò Christi Ecclesia est, quam suis Apostolis eorúmque Successoribus commisit. Iure igitur pari, cùm nullam limitationem, nec exceptionem esse legamus; quasi verò Christus iis duntaxat, qui Petro ætate pares fuerunt, regnum cælorum patere voluerit, non verò aliis, qui succedentibus annis vixerunt: quod reuerà cùm dici non possit, claues regni cęlorum post mortem Petri in potestate alicuius relictæ sunt. Ecclesiæ, inquies; rectè: pastorum scilicet, qui Ecclesiam regunt & ædificant; Successorum igitur Petri, aliorúmque Apostolorum: sed qui Ecclesiam Romanam regit, successor Petri est, igitur claues regni cælorum penes illum sunt; Romana igitur Ecclesia vera est Ecclesia.

V. Quòd Petrus Romanus Episcopus fuerit, vniuersa clamat antiquitas, Patres omnes, Græci præsertim, quorum maximè intererat, nemine prorsus refragante, testantur; tabulæ fastorum euincunt; lapides ipsi & rudera, muta licèt, vociferantur. Extat etiamnum & prostat Romanorum Pontificum nunquam interrupta series, quam nec ipse Caluinus negare ausus est, ne toti antiquitati contradiceret; & verò quisquis negaret, Petrum Romanum Episcopum fuisse, eodem iure, Augustum Cæsarem Romanorum Imperatorem fuisse, negare posset. Quæstio facti est, testes producimus, omni exceptione maiores; Græcos præsertim, atque adeò minimè suspectos; vnus Athanasius sufficeret, qui Felicem Romanum

num Pontificem, legitimum Petri successorem, quo Ecclesiæ columnæ nituntur, appellat: Eusebius accedat, qui non modò Petrum Principem Apostolorum, sed primum Romanorum Pontificum fuisse, suis historiarum monumentis mandauit. Cypriani autem non omittam, qui cùm ad Cornelium Papam scriberet, eius sedem, Petri Cathedram vocat, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est; subnectit demum, Romanos eos esse, quorum fides Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. Si Romæ Cathedra Petri est, igitur auctoritas atque potestas; igitur & Claues regni cælorum: si Ecclesia Romana principalis est; igitur vera est, cùm aliarum mater sit; quidquid enim in aliis boni spiritûs inest, ab ea profectum est. Si denique ad eam nullus errori, nullus perfidiæ accessus patet, vera igitur est, cùm erroris omnis expers sit; hæc enim singularis Ecclesiæ Catholicæ nota, & singularis character est.

VI. Prætereà illa est vera Ecclesia, quæ suæ fidei ac religionis, nullo negotio rationem reddit; scit enim, à quo didicerit; inuocat nomen Domini, in quem credit, & quem audiuit; fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei; quod sanè legitimam loquentis, ac prædicantis missionem & auctoritatem supponit. Petrus à Christo accepit, Linus à Petro, Cletus à Lino, atque ita deinceps singuli successores à suis prædecessoribus acceperunt; hinc scimus, à quo nostræ fidei oracula & religionis mysteria didicerimus. Nec quisquam est, etiam in-

tet sectarios, qui neget, penes Romanam Ecclesiam, prædictum ius succeſſionis mansiſſe; quis enim attributam illi auctoritatem, præter Deum, qui vltrò conceſſit, auferat? vnde autem constat, à Deo ereptam esse? Neque Caluinus inficias iuit; qui vult Romanum Pontificem, quem Antichristum vocat, in Dei templo sedere: si Dei templum est, igitur domus & Ecclesia Dei; neque hoc Ecclesiæ Catholicæ nomen Romanæ inuidet, vt ex multis locis apud eum colligi potest.

VII. Sed, inquiunt, in multis errauit Romana Ecclesia; si vera Ecclesia erat, quod vel hæreticorum pertinaciſſimus vltrò fatetur, priusquàm erraret, inde manifestum fit, non errasse; cùm erroris expers esset. Si enim errauit, igitur errori obnoxia erat; igitur auctoritate illa infallibili non pollebat. Igitur non erat vera Ecclesia, quæ est columna & firmamentum fidei, & regitur à spiritu veritatis, nec aduersùs eam portæ inferi præualere poſſunt. Igitur vel nunquam fuit, vel semper est: quòd nunquam fuerit, nemo concedet; si autem fuit, errare profectò non potuit; igitur non errauit. Prætereà quisquis errasse contendis, accusatoris partes agis; tibi ergo, quod adstruis, probandum incumbit; mihi verò duntaxat negandum; accusas, defendo; errorem imponis, pernego: vtri porrò credendum? tibi ne, an mihi? neutri sanè, ante sententiā iudicis. Quis porro iudex? an spiritûs interior instinctus? an quilibet in propria causa? minimè gentium: *dic Ecclesiæ*; consule legitimos pastores, qui hæreditario

rio & successionis iure iudicandi facultatem ab A-postolis acceperunt.

VIII. Sed in quo tandem Ecclesia Romana errauit? an fortè aliquod hæreticum dogma credendum proponit? agedum; Corpus Christi reuerà esse in Sacramento asserit; hoc hæreticum vocas, Catholicum esse contendo; Scripturæ verba mysticè intelligis, ego ad literam, vt aiunt. En litem, & dubium in Lege; quis porro consulendus, nisi Petrus, ac Petri successor, qui clauem scientiæ à Christo accepit? cui scilicet & Spiritui sancto ita visum est, fratres in fide suos confirmare iussus, & oues Christi pascere. Caluinus Christi Corpus inesse negat; Petrus asserit; ille est errori obnoxius, hic spiritu veritatis instructus, & Christi virtute munitus; ille purgatorium, vt vocant, imaginum & Sanctorum cultum, Pœnitentiæ Sacramentum, Petri primatum, aliáque id genus reiicit; hæc eadem Petri successor adstruit, auctoritate à Christo accepta, & quasi per manus tradita; cùm tamen ille priuata duntaxat auctoritate nitatur, cui certè indubitata fides habenda non est; vtri, amabò, credendum? in possessione sumus; quo iure Caluinus ex ea nos exturbat? quo nomine, qua auctoritate, quibus tabulis? Sacro textu, inquies; sed cuius est, sacrum textum interpretari, eiusdem nodos & dubia soluere, immò legitimum à spurio, Catholicum ab apocrypho discernere, nisi Ecclesiæ Romanæ? vnde, quæso, sacrum textum accepistis? quis, amabò, illius custos est? in possessione sumus; res inter nostras sacrum

textum

textum recensemus, in quas iniquè inuolastis.

IX. Quòd ad mores spectat, ego sanè contendo, nihil vnquam ab Ecclesia Romana, publica auctoritate edictum, approbatum, & omnibus fidelibus propositum fuisse, quod à recta ratione, & morum honestate alienum esset. Fateor vltrò, in ordine Ecclesiastico nonnullos esse, qui eâ morum sanctimoniâ & integritate non pollent, quam illud vitæ genus postulat; sed quid tum? quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, at secundùm eorum opera nolite facere. An fortè maiorem Romanæ Ecclesiæ morum corruptionem exprobrabitis, quàm Synagogæ, vltimis illis temporibus, quibus tamen salus adhuc ex Iudæis erat; & super Cathedram Moysi, Scribas & Pharisæos sedisse constat, & iudice Christo, eorum dictis & iudiciis standum? Itaque vt singulorum sacerdotum mores non probo, nempe homines sunt, peccatis obnoxij, ita omni asseueratione affirmo, nihil vnquam in materia fidei, & morum sancitum fuisse, quod integrum & castum non esset. Optandum quidem erat, vt omnes Ecclesiastici optimis moribus essent; & dolendum est, quòd aliqui in tam sublimi vitæ gradu adeò supini esse videantur, non tamen eorum exemplo malè agendum, nec ab Apostolico collegio discedendum, vel eo nomine, quòd vnum proditorem habuerit.

X. Iam vltima vltimi huius Dati pars ex dictis perspicuum est; quòd scilicet in Ecclesia Romana quilibet saluari queat; cùm enim vera Ecclesia sit, in ea via salutis est; nempe vbi veritas, ibi via & vita;

 quia

quia ibi Christus est, in medio eorum, qui in eius nomine congregati sunt; Christus autem via, vita & veritas est; quisquis autem nomen Domini inuocauerit, saluus erit; inuocamus verò, quem credimus; hæc est porro vita æterna, vt in Deum & Christum credamus. Vbi ergo vera fides est, salus esse potest; fides enim viam salutis aperit & monstrat: cùm igitur in Ecclesia Romana sit vera fides, in ea quoque est salutis via; via, inquam, quæ ducit ad vitam; in ea ergo saluari quilibet potest; omnes tamen non saluantur, quia multi, licèt veram Christi fidem habeant, Christi tamen legibus non parent, neç eâ sunt vitę sanctimoniâ, quam vera fides postularet. Per Ecclesiam tamen non stat, quæ optimæ parentis ad instar, rectis præceptis filios instituit, docétque, quid faciendum, quid fugiendum sit; monet, arguit, increpat, multat, & variis pœnis in officio continere procurat; at fieri non potest, quin aliqui non quidem à fide, sed ab honestis moribus deflectant, ac proinde à cælesti gloria excludantur; hoc tamen non facit, quin diuina opitulante gratia, quilibet in Ecclesia Romana saluari queat.



LIBER



LIBER II.



N hoc secundo libro nonnullas Propositiones deducimus, quæ necessariæ connexionis vi, ex præmissis Datis, & quasi iactis principiis consequuntur. Et ne rem hanc in longum protrahamus, in decem Propositiones contrahimus, quibus quasi totidem gradibus, ad finem nobis propositum perueniemus, in eo scilicet positum, vt ostendamus, in Ecclesia duntaxat Romana homines saluari posse; hæc autem erit decima & vltima Propositio, quæ quia præcipuus huius operis cardo est, multis eam rationibus, ad plenissimæ probationis cumulum, demonstrabimus. Supponam autem illa omnia, quæ lib. 1. discussi, & Data illa, seu principia eodem ordine & loco citabo, quo posita sunt; si quis fortè non meminerit, Datorum Indicem, quem etiam præmisi, consulat.

PROPOSITIO PRIMA.

Vbi error est, vera Ecclesia non est.

I. Ecclesiam supremâ & absolutâ iudicandi res fidei potestate gaudere, superiore libro abundè ostensum est, Dato scilicet XVII. eam autem legitimam esse, Dato XVI. demonstratum fuit, ac proinde infallibilem omnisque erroris immunem: cùm enim Dei nomine, qui homines per Ecclesiam regit, administretur & exerceatur, si erraret Ecclesia, quæ Dei vices agit, dum quæstiones fidei decîdit, erroris vitium ipsi Deo imputaretur. Præterea si errare posset Ecclesia, portæ inferi aduersùs eam præualerent, quod diuinæ auctoritati repugnat; Christus errores suis prædicare censeretur; nam qui vos audit, me audit; & Ecclesiam audiendam esse præcepit; quisquis enim Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Petrus quoque Dominicum gregem pascere iubetur; non pasceret autem, sed interimeret, si fortè in errorem induceret; error enim, venenum, non verò cibus est; fratres quoque in fide confirmare iussus; fides autem in errorem minimè fertur, sed in veritatem diuino testimonio confirmatam: Ecclesia demum columna & firmamentum est veritatis; sed vbi error admittitur, veritas corruit.

II. Vna est etiam diuinæ fidei regula, per Datum XII. eáque penes Ecclesiam, vt constat, penes

quam

quam est iudicandi potestas, per Dat. XVII. nec enim sacra Scriptura in decidendis fidei controuersiis iudex est, per Dat. XIII. nec interior spiritus, per Dat. XIV. nec singuli fideles seorsim, in propria causa, per Dat. XV. Si autem regula fidei est penes Ecclesiam, hæc profectò errare nequit; si enim regula est, recta est; cùm autem error à recta ratione ac veritate deflectat, à qua nisi deflecteret ac declinaret, error non esset. Ex his, meo iudicio, conficitur, Ecclesiam errare non posse; est enim vna, sancta & Catholica, vt ex Symbolo fidei ab ipsis adiaphoris admisso perspicuum est: Vna autem esse non potest, sine vnitate fidei, vt suprà dictum est; nec sancta, nisi veram fidem teneat, sine qua placere Deo impossibile est; nec Catholica, sine fide vniuersali, quæ omnia vera dogmata complectatur. Si autem aliquo erroris vitio laborat, in aliquo dogmate peccat, nec in omnibus vera est; diuersa quoque fides esset; nec enim error in vnitatem fidei admitti potest; igitur nec vna, nec Catholica esset Ecclesia.

III. Omnes sancti Patres vno consensu id clamant; columna orbis est Ecclesia, ait Chrys. & fideles supra Petram fundati, vt vult Theodoret. stabiles & immobiles permanent; sed quisquis errat, labitur. Columna, inquam, Ecclesia dicitur, in qua sola, veritas stat firmata, quæ sola sustinet ædificium, vt addit Hieronymus; igitur non inclinabitur in sæculum sæculi, vt asserit Augustinus, quia prædestinata est columna & firmamentum veritatis. Et verò cùm spiritũ veritatis acceperit, qui omnem

veritatem docet, si aliquando erraret Ecclesia, illa haud dubiè veritas lateret; aliquam igitur veritatem prædictus spiritus non docuisset; etsi enim ex parte in hac vita cognoscimus, vt ait Paulus, non manca tamen, sed integra veritas in parua cognitione nobis refulsit, vt Cyrill. optimè deducit.

IV. Præterea, si vel in vno dogmate Ecclesia errare posset, de nullo penitus certa esset; nam de quolibet dubium esse posset, vtrùm in eo erraret. Nec est, quòd aliqui dicant, errare posse in iis, quæ in sacris paginis non continentur, nam de ipsis quoque sacris codicibus dubitare posset, déque illorum numero; item de cuiuslibet loci vero & legitimo sensu. Præterea multa sunt dogmata, non scripto, sed nudo verbo tradita, quæ, vt firmiter credat Ecclesia, certa sit oportet, errori se in iis obnoxiam non esse. Est autem vna verè aurea sacrorum dogmatum catena, quorum vnum vni probè cohæret, vt ait Nazianzenus, & si vel vnum retraxeris, vt rectè monet Ambrosius, retraxisti salutem tuam; nam etiam hæretici habere sibi Christum videntur; nemo enim Christi nomen negat, sed negat Christum, qui non omnia, quæ Christi sunt, confitetur. Quòd demum Ecclesia eò venire non possit, vt nihil certa fide teneat, vel ex ipsis terminis patet; tunc enim nulla esset fides, igitur nulla Ecclesia, quæ est fidelium congregatio; sed Ecclesia permanebit vsque ad consummationem sæculi.

V. Hæc autem Ecclesiæ infallibilitas (sic enim vocare liceat) ex eo præsertim ortum duxit, quòd spiri-

spiritu Christi, qui est veritas, ac semper eidem Ecclesiæ assistit, iuxta diuinam promissionem regatur; pactis verò Christum non stetisse, nefas est dicere. Immò cùm Christus sit Ecclesiæ caput (est enim Corpus Christi Ecclesia) & cùm à capite ij spiritus ortum ducant, qui reliquo corporis trunco sensûs ac motûs vim subministrant; quid mirum, si Ecclesia Christi spiritu & ab ipsò procedente regatur, & totam vim virtutémque suam ab eo accipiat? Hinc sanè si erraret Ecclesia, Christus ipse errare diceretur; equidem singula trunci membra seorsim considerata, quatenus à capite regi se non sinunt, in errorem aliquando impingunt: sed totum corpus, id est, tota Ecclesia errare non potest, alioquin erroris vitium capiti haud abs re imputaretur.

VI. Porro quòd Christus primum Ecclesiæ caput extiterit, quis amabò neget? nempe ipse suam ædificauit Ecclesiam, quæ deinde ab Apostolis aucta & propagata est. Negabis fortè à Christo Ecclesiam ædificatam fuisse; igitur pactis & promissis non stetit; dixerat enim: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: sed nunquid ministros instituit, noua Sacramenta, nouum sacrificium & sacerdotium, nouum testamentum, nouas leges? nunquid nouam facultatem soluendi, ligandi, remittendi peccata, pascendíque suas oues tradidit? Quid porro aliud ad fundandam & ædificandam Ecclesiam desideretur, non video; habuit autem Christum Ecclesia, secundùm præsentiam carnis paucis diebus, vt ait Augustinus, & in ea versatus est; igitur Christus Ec-

clesiam fundauit; & quidquid contra huiusmodi assertionem adduci posset, facilè dilui ac dissolui potest; cùm vltrò demus, eandem ab Apostolis, post Christum, auctam & amplificatam fuisse, ritibus suis instructam, leges promulgatas, Hierarchiam institutam, sacros Codices scriptos & traditos, verbum Dei explicatum, &c. Christus igitur primum caput visibile fuit; nunc autem etiam caput, sed inuisibile; *Omnibus* enim *diebus vobiscum sum*, inquit, *vsque ad consummationem sæculi*; substituit tamen in locum suum caput visibile, Petrum scilicet, eiúsque successores, suo scilicet spiritu instructos, & vicaria potestate; vnde perspicuum fit, errare non posse, alioquin, vt iam dixi, Christus errare censeretur.

VII. Itaque Ecclesia errare non potest, cùm à Christo gubernetur, non modò per interiorem spiritum, sed per externam directionem, operâ Vicarij adhibitam; hic enim humanus est gubernandi modus, vt patet ex dictis, cùm interior spiritus nostræ fidei regula esse non possit. Si autem Ecclesia errare non potest; vbi igitur error est? Ecclesia non est; quod mihi probandum erat: sit enim, si fieri potest; igitur Ecclesia erraret, quod fieri non posse hucusque luculenter ostendimus; cùm sit eadem Ecclesia; alioquin destructa esset, quod promissioni Christi repugnat; nunquam enim aduersùs eam portæ inferi præualebunt. Eadem, inquam, non quidem ratione membrorum, quæ pereunt, sed ratione totius, atque adeò eiusdem formæ, quæ dat esse rei; hæc autem est fides & spiritus veritatis, qui

eam

eam regit: quemadmodum ex corpore animales innumeræ partes sensim sine sensu auolant, & aliæ in earum locum succedunt, hoc tamen non facit, quin idem censeatur; ita in corpore Ecclesiæ idem fieri videmus; decedunt enim aliquæ partes, aliæ verò accedunt, ac proinde idem corpus manere dicendum est.

PROPOSITIO SECVNDA.

Vbi diuersa est fides, eadem Ecclesia non est.

I. HÆc propositio citra aliam probationem facilè admitti posset; cùm enim Ecclesia sit fidelium congregatio, vbi diuersa est fides, diuersos fideles esse necesse est; nam vt fides fidelem facit, ita diuersa fides diuersum fidelem. Forma est, quæ dat esse rei, vt loquuntur Philosophi; igitur diuersa forma diuersum esse; fides autem forma est, quâ quis fidelis est; diuersa igitur fides diuersum fidelem facit; si verò diuersi fideles sunt, diuersus est fidelium cœtus; diuersa igitur Ecclesia: hæc ratio, meo iudicio, rem conficit.

II. Non desunt alia rationum capita, quibus eadem veritas confirmatur, quæ facilè ex præmissis Datis deduci queunt, quare breuitati consulens, indico potiùs, quàm expono. Primò quidem Ecclesia vnum corpus est, cuius fideles membra sunt, & Christus caput: si vnum corpus, igitur vna forma & anima vna; vnitas enim totius ab anima est, igitur

vna fides, quæ hoc totum constituit. Si ergo diuersa est fides, diuersa forma est, diuersum igitur esse, & diuersum corpus, atque adeò diuersa Ecclesia: igitur vbi diuersa est fides, eadem Ecclesia non est.

III. Vnus est spiritus veritatis, vna fides, vna lex, vna religio, vt in Dato x. luculenter ostensum est, ex his autem vnitatem Ecclesiæ in Dato xi. deduximus: vt verò ex vnitate fidei, vnitas Ecclesiæ rectè colligitur, ita ex diuersitate fidei, diuersitas Ecclesiæ consequitur. Prætereà si eadem fides non est, mutua charitas non est; consensio enim voluntatum, quam charitas conciliat, consensione animorum nititur; quisquis enim aliud ab alio sentit in re fidei, mutuæ charitatis vinculo cum eo coniungi non potest, quamdiu fidei & religionis discrimen intercedit; cùm ipsa charitas fidei & religionis vnitatem supponat; nam per charitatem proximum diligimus in Deo, vt scilicet eâdem fibulâ inter nos, & cum Deo coniuncti simus: at quisquis veram fidem non habet cum Deo, à cuius veritate dissentit, coniunctus esse non potest. Igitur si eadem fides non est, mutuæ charitatis nexus desideratur; sed omnium fidelium cor vnum esse oportet, animâmque vnam; si autem vnum cor non est, animáque vna, vna Ecclesia non est, vt patet.

IV. Nec est, quòd aliquis dicat, fieri posse, vt eiusdem Ecclesiæ membra in multis saltem, si non in omnibus conueniant; ac proinde diuersam eiusdem Ecclesiæ fidem esse; nam licèt multa credamus, vna

tamen

tamen & indiuidua credendi ratio est; multiplex quidem est diuinæ fidei obiectum (sic enim vocant) vnum tamen & singulare eiusdem fidei motiuum. Hinc quisquis vel vnum articulum sufficienter propositum credere recusat, nihil penitus credit, licèt multa sibi credere videatur: cùm enim omnes articuli fidei diuinâ Dei attestantis auctoritate æquè nitantur, quisquis aliqua in re eidem sese nō submittit, certè talem esse non putat, quæ ad firmum assensum moueat. Præterea si errat in vno, infidelis est; diuinam igitur fidem non habet; igitur nihil prorsus diuina fide tenere potest.

V. Deinde si diuersa fides est, cùm vna duntaxat vera sit, & legitima, quidquid ab ea discrepat, integrum non est, sed spurium & vanum: vbi autem vera fides non est, vera Ecclesia esse non potest, quæ scilicet veram fidem supponit; est enim fidelium, id est, veram fidem protestantium congregatio. Igitur cùm vna duntaxat vera fides sit, atque adeò vna duntaxat Ecclesia, vbi alia fides est, alia quoque Ecclesia est, id est, vbi nulla vera fides, ibi nulla vera Ecclesia. Quis enim eos, qui vera fide carent, in societatem veræ fidei admittat? quasi verò fide carere possint, qui eiusdem fidei vinculo deuincti sunt; quis hoc dicat? quis hoc capiat?

VI. Vbi ergo diuersa est fides, eadem Ecclesia non est, sed diuersa, immò nulla, vt constat ex dictis nec video, quid verius aut magis perspicuum esse possit. Hinc qui peccat in vno, factus est omnium reus; qui errat in vno, in omnibus errat; quia fidem

dem amisit, sine qua nihil, vt par est, credere potest; quod rectè Augustinus Manichæis exprobrat, qui in Euangelio, inquit, creditis, quæ vultis, & in eodem non creditis, quæ non vultis, vobis ipsis, non Euangelio creditis. Cur enim vnum, non aliud credis? an fortè vnum maiorem, quàm aliud meretur fidem? minimè verò; cùm vna eadémque reuelantis auctoritas vtrinque fidei robur ac firmitatem conciliet. Itaque quisquis vnum, non verò aliud credit, non Dei loquentis auctoritate, sed sua credentis libera voluntate nititur; ac sibi, non Euangelio credit: vera igitur fide non pollet, illa quippe vera est fides, quæ diuina auctoritate & veritate nititur; vbi autem nulla est fides, nulla quoque Ecclesia est.

PROPOSITIO TERTIA.

Protestantes & alij Sectarij ab Ecclesia Romana desciuerunt.

I. LVtherus, Caluinus, Zwinglius, Bucerus aliíque huiusmodi farinæ homines inficias non ibunt, quin ab Ecclesia Romana desciuerint; immò, quod peius est, ab Ecclesiasticæ vitæ instituto; quo verò, & cuius instinctu ab eo vitæ statu discesserint, hîc profectò non est discutiendi locus; libri & auctores consulendi sunt, qui rem hanc pro dignitate copiosissimè discusserunt. Prætereà susceptæ huius prouinciæ ratio non postulat, vt quemquam paulò acriùs perstringam; præter-

terquàm quòd ille agendi modus nunquam mihi omnino placuit, quo non modò aduersariorum animi ad meliorem frugem minimè reducuntur, verùm etiam magis ac magis exacerbantur.

II. Itaque illud duntaxat vnum indico, sectarios ab Ecclesia Romana desciuisse; iure an iniuriâ, hoc loco non disputo, infrà tamen luculenter concludã; quo animo, quo fine, Deus scit. Caluinus ingenuè fatetur lib. 4. Instit. cap. 2. se ab Ecclesia Romana, excommunicationis fulmine perculsum, recessisse, non tamen inuitum, quòd scilicet in ea multos abusus esse videret. Sed de his posteà examinabimus, an tales sint, vt Ecclesiæ legitimæ rationem & statum è medio tollant, ac proinde sectariis iustam dederint discedendi occasionem: si enim Ecclesia Romana pristinum nomen & statum retinuit, non erat, quòd discederent ab ea salutis via; nempe vt vel ipse Caluinus testatur, lib. 4. Instit. variis locis, extra Ecclesiam salus non est; & ij sunt filij Dei, quorum Ecclesia mater est; & nisi hanc matrem habeamus, illum Patrem habituri minimè sumus.

III. Nec est, quòd dicant, se ab iis diuinæ fidei articulis non discessisse, quos minimè vitiatos, nec deprauatos Ecclesia Romana seruauit ac retinuit; séque ea duntaxat respuere, quæ vel superstitione, vel errore, vel alia quapiam labe corrupta fuerant. Sed profectò hæc ratio nulla est, vt infrà euincam; si enim Ecclesia in aliquô errat, veram fidem non retinuit, quæ vna est; igitur si eam sectarij in fidei societatem admittunt, ipsi quoque veram fidem

non

non tenent; si autem nulla in re penitus errat Ecclesia, illi dubio procul errant, qui nonnullos articulos reiiciunt, quos Ecclesia adstruit: sed de his infrà.

PROPOSITIO QVARTA.

Ecclesiæ Romanæ fides à fide Protestantium, Caluinistarum, aliorumque Sectariorum omnino differt.

I. DVbium non est, quin Ecclesia Romana, in multis ad diuinam fidem pertinentibus, à Caluinistis & Protestantibus dissentiat; longum esset, illos omnes articulos recensere, qui nos inter & illos controuertuntur. In Sacramentis multa sunt controuersiarum capita; illi enim duo duntaxat admittunt, nos septem esse credimus: illi Christum in Eucharistia præsentem esse negant, nisi forte in ipso vsu; nos præsentem agnoscimus & adoramus. Illi sacras ordinationes, potestatem tum ordinis tum iurisdictionis, indulgentias, purgatorium, vt vocant, cultum imaginum, Romani Pontificis primatum ac supremam auctoritatem, aliáque id genus bene multa reiiciunt, quæ nos adstruimus, ac certa fide tenemus. In re iustificationis, piorum operum vsu, gratiâ Christi & libero arbitrio, & in multis aliis à nobis dissentiunt, quæ ad diuinæ fidei dogmata pertinere constat.

II. Cùm autem vna sit ac indiuidua diuinæ fidei ratio, sítque omnium reus, qui vel in vno duntaxat

peccat,

peccat, fieri non potest, quin vel nos vera fide careamus, vel eâdem illi careant; nam vel in prædictis erramus, aut certè ipsi errant. Si primum, illi veram, nos falsam; si alterum, illi spuriam, nos legitimam fidem habemus: quis autem non dicat, veràm fidem à falsa, legitimam à spuria discrepare? Nec est, quòd aliquis dicat, leuiora quædam duntaxat esse discrimina, in quibus nos ab iis dissentimus, atque adeò in substantialibus, vt vocant, communem consensum esse. Hanc oppositionem tertio lib. ex professo refutabimus; interim dico, illa omnia capita esse substantialia, quæ ad diuinam fidem pertinent, cùm fides sit sperandarum substantia rerum, & religionis fundamentum. Igitur si vel in vno tantùm fidei articulo à Protestantibus dissentimus, hoc sanè sufficit, vt fides nostra ab eorum fide omnino diuersa sit.

III. Prætereà illa sunt præcipua religionis nostræ mysteria, in quibus ab iis discrepamus: quid quæso augustius nostrâ Eucharistiâ, in quâ præsentem Deum veremur, illi verò pedibus calcant? quid Sacramento reconciliationis frequentius? quid sacris ordinationibus ac ministeriis illustrius? quid Primatu Petri, & sanctæ Sedis fallere nesciæ auctoritate grauius? hæc sanè præcipua sunt religionis ac fidei nostræ mysteria. Omitto cultum imaginum & beatarum mentium, Ecclesiæ Thesaurum, piaculares vitâ functorum ignes, pleraque Sacramentalia, vt lustralem aquam, sacrum Chrisma, palmas, cineres, cereos, aliáque huiusmodi; ritus ferè omnes,

atque

atque adeò rem sacram omnem: quo sanè fit, vt verè dicamus, fidem nobis ac illis communem non esse.

IV. Religio Romanam fidem profitentium à religione Protestantium diuersa est; licèt enim eundem Deum, eundémque Christum adorent, leges tamen communes non seruant. Sacros codices agnoscunt, sed vitiatos; traditiones Ecclesiasticas reiiciunt; maximam Conciliorum & sacrorum Canonum partem, constitutiones Pontificias, ius omne Canonicum, Ecclesiæ Præcepta. Quid plura? tam multa sunt ad religionem pertinentia, in quibus ab iis dissentimus, vt cùm hæc religionem constituant, diuersas religiones esse necesse sit; quod sanè tam vulgare & tritum est, vt vel in familiaribus colloquiis de iis mentio fiat, tanquam de hominibus diuersam religionem profitentibus. Si autem eadem religio non est, eadem fides esse nequit, quæ est forma & anima quædam religionis, vt constat ex dictis; nam vbi diuersum esse, ibi diuersa forma est, quæ dat esse rei; igitur cùm diuersa sit religio, diuersa quoque est fides.

V. Deinde Protestantes ab Ecclesia Romana desciuerunt, vt constat ex Prop. III. diuersa igitur est Romanorum & Protestantium Ecclesia; si enim eadem esset, dici profectò non posset, eos ab Ecclesia Romana desciuisse ac discessisse. Sed vbi diuersa est Ecclesia, diuersa est fides; nam Ecclesia est congregatio fidelium, eandem Christi fidem profitentium, &c. igitur si diuersa est congregatio, diuersam fidem

fidem profitentium, diuersa est Ecclesia; igitur diuersa fides; quæ sanè si eadem esset, eadem ratio fidelium esse censeretur, eadem igitur Ecclesia. Vno verbo cùm ex secundaProp. perspicuum sit, eandem Ecclesiam non esse, vbi diuersa est fides, inde necessariæ consequutionis vi deducitur, diuersam quoque fidem esse, vbi Ecclesia diuersa est, cùm scilicet vtrumque æquè pateat.

VI. Deniq; ibi tantùm est vera fides, vbi est certa regula fidei, vt constat ex datis; nec alibi reperitur, quàm in Ecclesia, vt ex iisdem manifestum est; igitur in Ecclesia vera duntaxat est fides, in ea scilicet Ecclesia, penes quam est vera fidei regula, id est, suprema & absoluta potestas definiendi res fidei, ac de iis iudicandi: quam sanè potestatem Ecclesia Protestantium sibi non potest arrogare; secus tamen Ecclesia Romana. Præterea apud vtramque nõ est vera fidei regula; hæc enim vnica est, per Dat. XII. quòd autem eadem vtrique non competat, perspicuum est, cùm diuersi vtrinque sint articuli, & ab alia adstruuntur; sed eadem regula diuersa non adstruit; igitur apud vtramque non est vera fidei regula; igitur apud alteram duntaxat; igitur apud alteram vera est duntaxat fides; igitur Ecclesiæ Romanæ fides à Protestantium fide omnino differt, quod demonstrandum susceperam.

H PRO-

PROPOSITIO QVINTA.

Ecclesia Romana fidem, & dogmata non mutat.

I. QVisquis oppositum assereret, hoc ipsum eidem probandum incumberet; idem enim fidei Symbolum semper habuimus, eadem Sacramenta adhibuimus, idem visibile caput agnouimus. Negas fortè; sed vt dictis facias fidem, appellandus esset aliquis ex iis, qui Romanam fidem professi sunt, qui aliquod diuinæ fidei dogma tenuerit, quod his temporibus Ecclesia Romana reiiciat. Fateor, multa esse, quæ iam explicatiora & planiora sunt, præmissis tot Oecumenicorum Conciliorũ Canonibus, tot summorum Pontificum constitutionibus, tot eximiorum Doctorum lucubrationibus; Corpus Ecclesiæ mysticum per varios ætatum gradus perficitur; vt enim Christus proficiebat ætate & sapientiâ, ita Ecclesia Christi sponsa, quæ paruula erat initio, vtpote cui vbera nondum turgerent; exin, labentibus annis, adoleuit. Et quamquam aliquid luti limbus vestis collegit, quid enim aliud in hoc rerum statu, & mundanis sordibus, expectandum erat? longè tamen vegetior & robustior euasit, multiplici accessione aucta. Illa ergo fidem nõ mutauit, sed illustrauit, integros seruauit mores, publica scilicet & Apostolica auctoritate confirmatos, sacrorum rituum substantiam retinuit, modum in nonnullis mutauit, vt in Sacramentorum

vsu;

vsu; noua quædam præcepta imposuit, pro diuerso temporum vsu, alia verò aboleuit, cùm præsens rerum status ita fieri postularet: vno verbo, in iis, quæ ad fidem, & ad mores publica auctoritate confirmatos pertinent, contendo, Romanam Ecclesiam non mutasse.

II. Si enim vera est Ecclesia, per Dat. XVIII. atq; in ea quilibet saluari potest, fieri nequit, vt fidē mutârit; alioquin demus, mutârit, veram igitur fidem non retinuit; sed si vera fides non est, vera Ecclesia esse non potest, vt patet ex dictis; igitur si vera est Ecclesia, fidem integrā seruauit; igitur fidei dogmata minimè mutauit. Thereà cùm quilibet in Ecclesia Romana saluari possit, veram ibi fidem seruari, manifestum est; nempe sine fide, scilicet vera & legitima, impossibile est Deo placere; cùm igitur eandem, à Christo scilicet & Apostolis sibi traditam fidem retinuerit, illam haud dubiè non mutauit; immò nec mutare potuit, ne portæ inferi aduersùs eam præualerent, ne Petrus eiúsque successores Romani Pontifices erroris veneno Dominicum Gregem inficerent, cùm tamen sanæ doctrinæ lacte pascere teneantur: sed de his iam suprà fusè actum est.

III. Romanum Episcopum Christi Vicarium esse quis neget? fortè negabis de Petro? cui Christus Claues Regni cælorum promisit, ac deinde promissis stetit, cuius fidei & curæ iterum ac tertiò gregem suum ex ouibus & agnis compositum commisit; in quo demum immobile Ecclesiæ suæ fundamentum constituerat, collata scilicet eidem suprema & in-

fallibili auctoritate ligandi, soluendi, iudicandi, ac res fidei definiendi,&c. Si verò Petrus Christi Vicarius est, igitur & Romani Pontifices, qui Petro deinde in officio successerunt. Vt igitur Christus fidem non mutat, ita nec eius Vicarij fidem mutant; alioquin ipse Christus fidem mutare, ac proinde errare diceretur; præsertim cùm Christi vices agant, eiúsque nomine & auctoritate, quid in re fidei & morum tenendum sit, assistente Spiritu sancto, pronuntient.

IV. Si autem Romanus Pontifex fidem non mutat, Ecclesia Romana fidem mutare non potest, cùm sit os & caput Romanæ Ecclesiæ, quæ stat stetítque hactenus eius oraculis, stabítque in posterum; nec enim Petri, eiúsque successorum fides vnquam deficiet; deficeret autem, si mutari posset. Singulares quidem, & vt priuati hominis, lapsus agnoscimus; nec enim inter Romanos Pontifices defuêre, quorum mores, & fortè intima animi sensa cum supremi huius gradus dignitate & sanctitate minimè consentirent: sed quid tum? Christus priuatis hominibus nunquam hoc promisit, vt illustres sanctimoniâ essent; promisit tamen spiritum veritatis, cuius ductu, nullum vnquam falsum dogma, nec prauos mores toti Ecclesiæ proponerent. Igitur Romana Ecclesia fidem non mutat, cùm Romani Pontificis, cuius est fidei dogmata definire, & tradere, fides non deficiat; eadem enim est Petri & Ecclesiæ, id est, capitis & reliqui corporis fides.

V. Quòd verò non soli duntaxat Petro hæc constantia fidei, oratione Christi, qui Patrem rogauit,

vt fides Petri non deficeret, impetrata fuerit, verùm etiam eiusdem Petri successoribus, vel inde constat, quòd iidem, etiam antiquissimi, vt Lucius, epist. ad Episcopos Galliæ, Marcus epist. ad Athanas. Felix I. Epist. 3. ad Benignum, Agatho Epist. ad Constant. Nicolaus I. Epist. ad Michaëlem, Leo passim, omitto alios recentiores, eadem Christi verba vsurpârint, vt probarent, sanctam Sedem normam Apostolicæ fidei esse; sed Apostolica fides nutare non potest; igitur nec fides Ecclesiæ Romanæ: tu vide sis apud Auctores innumera Patrum testimonia, quibus hæc fidei constantia euincitur.

VI. Quòd autem sectarij opponere solent, nonnullos ex Romanis Pontificibus à recta fide desciuisse, & in hæresim lapsos esse; esto, non disputo; nempe inter Catholicos controuertitur, & adhuc sub Iudice lis est; hoc fuit vitium credentis, vt persona priuata est, non error docentis, vt publica. Nihil autem afferri potest, nullum scilicet dogma à Romano Pontifice definitum, & toti Ecclesiæ propositum, siue ad fidem, siue ad mores pertineat, quod cum veritate non consentiat. Nonnulli fortè falsis priuatis quibusdam opinionibus adhæserunt, vel iis rationibus sua dogmata confirmarunt, quę omnis erroris expertes non extiterunt; esto, id vltrò damus; quis enim neget, homines esse priuatis erroribus obnoxios, vbi scilicet secundùm humanam rationem loquuntur; at quotiescunque loquuntur ex Petri Sede, vt Christi Vicarij, ac de plena supremi

huius officij auctoritate; in eo munere neque falli, neque fallere possunt.

VII. Hinc reiicies sectarios, qui ab Ecclesia Romana desciuerunt, propter inductos abusus; à quo tempore? sunt, qui à quingentis annis, alij ab octingentis, alij à mille ducentis, aut trecentis inductos esse velint. Sed an fortè in fidei dogmatis? vel vnum exhibe: statim ad controuersia capita confugies; ad præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, ad potestatem clauium, ad primatum Petri, ad thesaurũ Ecclesiæ, ad suffragia pro vitâ functis,&c. Sed in his Ecclesia Romana non mutauit; tu ipse abhinc annis mutasti. Mutasse,ais; pernego: quo tandem iudice standum? In Ecclesia duntaxat est potestas iudicandi, per Dat. XVII. & Romana Ecclesia, per XVIII. igitur penes Romanã Ecclesiam potestas iudicandi est,& fidei controuersias definiendi. Hæc porro nullam mutationem in dogmatis agnoscit, aut permittit; sed nouos articulos fidei condit: nouas certè reuelationes non admittit; ad publicam scilicet fidem; sed antiquas explanat, explicat, declarat, quod certè illius muneris est. Ad mores fortè venies; priuata Romanorum delicta non excuso; homines sumus; contendo tamen, nihil vnquam in genere honesti à Romanis oraculis definitum aut declaratum fuisse, quod reipsa honestum non fuerit; facta nihil moror, immò ne priuatas quidem sententias, quas iniquas fuisse, fortè aliqui iure queruntur. Nec dubito,quin aliquando in materia facti peccari possit; at verò in ma-

materia fidei, vel morum, nihil vnquam toti Ecclesiæ à Romano Pontifice, vel Concilio Oecumenico & legitimo propositum fuit, quod vel falsum, vel turpe censeri posset.

VIII. Ad id porro, quod dicunt, in Ecclesia Romana ad quingentesimum Christi annum fidem integram & puram mansisse; posteà verò, admixtis erroribus, fuisse vitiatam, facilè difflari potest; nam per quingentos illos annos fidem puram seruauit, ex Priuilegio Christi, Petro polliciti, nunquam fore, vt eius fides deficeret, quod sanè quingentorũ annorum periodo minimè comprehenditur, aut limitatur, sed ad consummationem vsque sæculi extenditur. Quod si dicas, primis illis quingentis annis, non errasse quidem, fuisse tamen errori obnoxiam; igitur quidquid ab ea toto illo tempore definitum est, sub fidem non cadit; qui enim scis falsum nõ esse, cùm error subesse potuerit? hinc quatuor prima Concilia concidere, necesse est; hinc vana Christi promissio; hinc spiritus veritatis toties promissus nunquam missus; hinc portæ inferi aduersùs Ecclesiam præualentes: omitto alia ferè innumera, hæc enim sufficere videntur.

PROPOSITIO SEXTA.

Ecclesia Romana errare non potest.

I. HÆc Propositio ex dictis necessariæ consequutionis vi deducitur: si enim Ecclesia est, eáque vera, per Datum XVIII. & cùm error esse non possit, vbi vera est Ecclesia, per Propos. I. inde sanè perspicuum fit, Ecclesiam Romanam errori obnoxiam non esse. Hoc ratiocinium ita rem conficit, vt omnem dubitationi locum vel aditum intercludat; si enim Ecclesia Romana vera est Ecclesia, vt loco citato probauimus; nempe cùm aliqua sit à Christo instituta, ab Apostolis propagata, ad consummationem vsque sæculi permansura, eáque Petri curæ ac fidei commissa, vt constat; cui enim Apostolorum dixit: *Pasce agnos meos, pasce oues meas?* cui claues regni cælorum promisit & tradidit? pro quo orauit, ne fides eius deficeret? in quo Ecclesiæ suæ fundamentum constituit? cui demum fratres in fide confirmandos reliquit & commendauit? Si autem Petrus est Ecclesiæ Romanæ Pastor & Caput, haud dubiè illa est Ecclesia Romana, quam Christus Petro regendam commisit; Petro, inquam, eiúsque successoribus; illa enim ad finem vsque temporum durare debet, alioquin Christus promissis non staret. Si ergo Romana Ecclesia aliquando vera Ecclesia fuit, eandem semper esse, necesse est: at vbi error est, Ecclesia vera non est; vbi igitur Ecclesia vera

ra est, error esse non potest. Romana vera est, vt euici, Romana igitur Ecclesia errare non potest.

II. Prætereà Ecclesia Romana fidem & dogmata non mutat, per Prop. v. si fidem non mutat, errare non potest; inde quippe erraret, quòd vel articulum falsum crederet, vel reuelatum & verùm reiiceret. Sed cùm ab initio fidem puram habuerit, vt omnes fatentur, si deinde aliquem articulum reiecit, quem priùs credebat, vel nouum credidit, à Christo, vel Apostolis sibi non creditum, fidem haud dubiè mutauit. Igitur cùm fidem non mutauerit, nec mutare potuerit, nec vllum articulum verum reiicit, nec vllum falsum adstruit; igitur errori obnoxia non est, alioquin fidem mutaret, cùm error circa fidem sit; vbi autem vera fides est, error esse non potest.

III. Deinde nisi Ecclesia Romana erroris omnis expers esset, frustra sedes Petri ab omnibus Christianis consuleretur in controuersiis fidei; frustra Cyprianus in Epistolis ad Cornelium & Lucium, Augustinus, aliique Patres eius responsa postularent; frustra reliqui omnes, qui hactenus bene senserunt, Romanum adirent oraculum, vt controuersias fidei terminaret. Recens ob oculos exemplum versatur, nam centum ferè Galliarum Episcopi Innocentium X. consuluerunt de quinque propositionibus, ex Cornelio Iansenio Iprensi Episcopo excerptis; cùm enim illa disceptatio Catholicos in varias distraheret partes, & res tum fidei, tum charitatis in graue discrimen adducta esse videretur, optimi Præsules,

vt gregis sibi crediti saluti & incolumitati consulerent, nihil antiquius habuerunt, quàm exemplo Prædecessorum suorum, sanctam Petri sedem adire, cuius quot rescripta, tot oracula. Quis autem sibi in animum inducat, vt credat, Ecclesiam Romanam errare posse, quam tot ac tanti doctrinâ & sanctimoniâ illustres viri, ne ipsi errarent, toties consuluerunt?

IV. Cuius sanè rei plenissimam faciunt fidem Romanorum Pontificum decretales, in quibus statuitur, quid tenendum sit in re fidei, morum, rituum, disciplinæ Ecclesiasticæ: hic enim fuit omnium sæculorum mos atque vsus, vt omnes Christiani orbis prouinciæ sedem Apostolicam, in dubiis ad Christianam rem pertinentibus, consulerent. Res autem Christiana fidei dogmata, mores, ritus, disciplinam Ecclesiasticam complectitur; vnde ni fallor, rectè concludo, persuasum omnibus fuisse, & communi approbatione & traditione receptum, sanctam Petri sedem erroris immunem esse, nisi enim hac prærogatiuâ polleat, non video, cur præ aliis consulenda sit. Sed frustra in his diutiùs hæreo, cùm ex dictis perspicuum sit, Ecclesiam Romanam errori obnoxiam non esse; quare ad aliam Propositionem, cùm hæc confecta sit, gradum facio.

PRO-

PROPOSITIO SEPTIMA.

Vna Ecclesia Romana vera & legitima duntaxat est Ecclesia.

I. QVòd sit vera Ecclesia, ex Dato XVIII. perspicuum est; quòd illa duntaxat vera sit & legitima, ac proinde nulla alia pro legitima habenda, probandum nobis incumbit; quod certè facilè præstabimus: nam illa vera duntaxat Ecclesia est, quæ Catholicam fidem seruat; nempe fides Catholica & Ecclesia Catholica ita inter se connexæ sunt, vt neutra sine altera esse queat; cùm & Catholica fides penes Ecclesiam Catholicam sit, & Ecclesia Catholica fidem Catholicam retineat. Ecclesiam autem Christi Catholicam esse, nemo Catholicus, nemo hæreticus nescit, quod vel ex Apostolico Symbolo habemus, quod sanctam Ecclesiam Catholicam nobis credendam proponit; fidei autem Catholicæ Symbolum Athanasij meminit.

II. Ecclesia Romana fidem Catholicam retinuit, fidem enim non mutauit per Prop. V. igitur eandem, quam Christus initio tradidit, etiamnum habet: sed fides à Christo tradita, vera est & Catholica, quod nemo negat; igitur fides Ecclesiæ Romanæ vera & Catholica est. Aliæ verò sectæ ab Ecclesia Romana desciuerunt per Propos. III. ideo porro desciuerunt, quia fidei dogmata mutarunt; fides enim Protestantium & aliarum sectarum, à fide Ecclesiæ Romanæ differt per Prop. IV. Vbi autem di-

uersa fides, Ecclesia diuersa est, per Prop. II. Igitur vt fides Protestantium Catholica non est, differt enim à fide Ecclesiæ Romanæ, ita nec eorum Ecclesia Catholica est; igitur vera & legitima non est, quòd certè Ecclesiæ Romanæ duntaxat competit.

III. Prætereà vna est duntaxat vera Ecclesia, per Datum X. sed Ecclesia Romana vera est Ecclesia, per Datum XVIII. sola igitur Romana vera & legitima Ecclesia est. Hoc sanè ratiocinium rem penitus conficit; quid enim vltra desiderares? Nec est, quòd dicas, protestantes in societatem eiusdem Ecclesiæ admittendos esse; nam ipsi ab ea desciuerunt, & visibili eiusdem capiti subduxerunt sese, ne scilicet illius imperio subiecti essent; igitur eiusdem Ecclesiæ communione minimè gaudent, præsertim cùm illorum fides à Romana fide plurimùm dissentiat, per Prop. IV. & vbi diuersa est fides, eadem Ecclesia esse non possit, per Prop. II.

IV. Illa duntaxat Ecclesia vera est, in qua error non est; vbi enim error est, Ecclesia non est, vera scilicet & legitima, per Prop. I. Romana autem errare non potest, per Prop. VI. illa igitur Ecclesia vera est. At verò aliæ omnes multis erroribus obnoxiæ sunt; cùm enim diuersam & oppositam fidem habeant, per Prop. IV. & nihil veræ & Catholicæ fidei, præter errorem, opponatur, nostra autem fides Catholica sit, per Prop. V. & VI. ex his necessariò deducitur, alias omnes Ecclesias multis erroribus implicitas & irretitas esse, ac Ecclesiam Romanam veram & legitimam duntaxat Ecclesiam esse.

V, Illa

V. Illa demum est vera & legitima Ecclesia, in qua veræ Ecclesiæ notæ manifestæ sunt, quas cùm in Romana duntaxat esse constet, hanc veram duntaxat Ecclesiam esse, manifestum est. Et verò inter illas notas, duæ sunt præcipuæ, vnitas scilicet & infallibilitas; prima illa rem euincit; cùm enim vna solummodò esse possit, & cùm Romana vera sit, vt suprà probatum est, Romanam duntaxat veram esse, necessaria consequutione concludo. Quis autem non capiat huiusmodi ratiocinij vim? Vna est duntaxat vera Ecclesia; igitur præter illam, quæ vera est, nulla est: sed Romana vera est; igitur præter Romanam, alia non est.

VI. Altera veræ Ecclesiæ nota est infallibilitas, quâ Romana pollet Ecclesia, per Prop. VI. quam certè sectarij arrogare sibi non possunt; nam Petro duntaxat promissa est; *quidquid* enim *solueris*, aut *ligaueris*, *solutum* aut *ligatum erit*, & *tibi dabo claues Regni cœlorum.* Clauis autem potestatem designat, definiendi controuersias fidei; nec Petri fides, pro qua Dominus rogauit, vnquam deficiet, super quam Ecclesia ædificata est, ac proinde portæ inferi aduersùs eam immobili fundamento nixam non prævalebunt; hinc oues & agnos Dominici Gregis, fideles scilicet omnes pascere Petrus iubetur. Infallibilitas igitur promissa fuit visibili Ecclesiæ Romanæ capiti, eiusdémque successoribus; at Protestantes prædicta infallibilitate non gaudent; quo enim iure? non successionis, vt patet, cùm Petro minimè succedant, sed ab eo potiùs desciuerint;

sint; nullus autem alius titulus excogitari potest: igitur cùm præfata infallibilitas Ecclesiæ veræ nota sit, eáque Ecclesia Romana sola gaudeat, quid mirum, si hæc duntaxat vera sit Ecclesia.

VII. Alias notas omitto, vt breuitati consulam, cùm expositæ sufficere videantur; plures tamen aliæ adduci possent, nempe Ecclesia vera, est visibilis, sancta, Catholica, Apostolica, sponsa Christi, Domus Dei, columna & firmamentum veritatis, vnius & constantis fidei, pro qua tot ac tanti doctores scripserunt, quámque tot pugiles martyrio coronati, sua morte confirmarunt. Quòd autem Ecclesia Protestantium, vel reformatorum nec vna, nec sancta, nec Catholica, nec Apostolica, nec Christi sponsa, nec Domus Dei, nec firmamentum veritatis dici possit, sed dissentiat ab antiquorum Patrum doctrina, nec fidem constantem habeat, patet ex dictis; præterquàm quòd iam alij demonstrarunt, præsertim Becanus Tom. 5. opusc. 6. quæst. 3. tu vide sis.

PROPOSITIO OCTAVA.

Ecclesia Romana fidem à Christo traditam sola retinuit.

I. Cùm enim fidem non mutàrit, per Prop. v. eandem haud dubiè retinuit, quam scilicet à Christo Domino, & Apostolis sibi traditam initio accepit; neque hæc Propositio vberiore aut pleniore probatione indiget, cùm ex quinta,

ta, necessaria consequutione deducatur; nempe si fidem initio à Christo accepit, quod nemo negat; Christus enim Ecclesiam instituit, suis legibus instruxit, ac diuinæ fidei lumine illustrauit; est autem fides prima huius mystici corporis forma, vel anima, cuius communi quasi vinculo diuersa membra in vnum corpus coalescunt: dixi primam formam; nam charitas est ad instar vltimæ formæ, perfectioris scilicet, vel supremæ coronidis loco. Si ergo Ecclesia fidem à Christo accepit, illámque deinde non mutauit, inde profectò retinuisse, perspicuè concludo.

II. Porro inductione facta, populari scilicet argumentationis genere, hoc ipsum euinci potest: Omnes articulos Symboli semper tenuit, quod aduersarij vltrò fatentur; item primatum Petri & supremam eámque infallibilem, circa rem fidei & morum, auctoritatem; quod certè huius loci probare non est, ne iam actum agam: innumera huius veritatis testimonia inuenies apud illos auctores, qui de hac controuersia scripserunt, præsertim apud Bellarminum & Suarez. Quod pertinet ad ea, quæ in Tridentino declarata sunt, & definita circa Iustificationem Sacramenta, peccatum originale, liberum arbitrium, diuinam gratiam, cultum imaginum, indulgentias, purgatorium, cuncta hæc diligenter discussa fuerunt tum ab iis, qui præfato concilio interfuerunt, tum ab ipsis controuersiarum Scriptoribus; adductis scilicet innumeris Patrum testimoniis, tu vide sis.

III. Præ-

III. Præterea iure possessionis Ecclesia Romana gaudet. Dicis fortè, pristinam fidem apud illam non esse; hoc dicis, hoc proba: nego enim ab ea quidquam olim creditum fuisse, quod modò ab eâdem non credatur; profer enim, sodes, quid tandem illud sit, nempe diuinare non possum. Dices fortè, nouos articulos Romanæ fidei accessisse, qui cùm erronei sint, pristinam fidem vitiarunt: aueo scire, quidnam illud sit; appellabis fortè præsentem Christum in Eucharistiæ Sacramento, imaginum cultum, purgatorium, indulgentias, Sanctorum intercessionem; rectè, cuncta hæc tenet Ecclesia Romana; at semper tenuisse, contendo; nec quisquam est, qui contrarium euincere queat. Non diffiteor quidem, nonnulla esse hisce temporibus magis expressa & explanata, quæ ad mysteria nostra pertinent, vt iam suprà indicaui, corpus enim Ecclesiæ dum adolescit, perficitur quoque huius corporis anima; id tamen vnum verissimum esse contendo, nihil à Romanis modò certa ac diuina fide teneri, quod antiqui saltem tacitè & implicitè, vt aiunt, non crederent.

IV. Nonnulla fortè ad ritus pertinent; de quibus Prop. sequenti acturus sum: cùm autem supremam sanctæ Sedis auctoritatem omnis ætas diuina fide tenuerit, non video, cur nouas leges condere, pœnas statuere, ritus sacros, saltem in accidentalibus, vt aiunt, mutare non possit: sed de his infrà. Cæterùm Ecclesia nouos fidei articulos non condit; declarat tamen, nonnulla esse diuina fide tenenda, quæ propter obscuritatem, ante declarationem, di-

uina

uina fide tenere fideles minimè tenebantur. Sic lex ante promulgationem non obligat, nec diuina reuelatio, antequam ab Ecclesia nobis proponatur; non quòd Ecclesia reuelatum esse faciat, quod reuelatum non fuit, sed quòd diuini spiritus ductu, reuelatum esse cognoscat, ac credendum fidelibus proponat, quod reipsa reuelatum fuit; id enim muneris Ecclesiæ incumbit, discernere, quod reuelatum est, ac fidelibus credendum proponere, vt patet ex dictis.

PROPOSITIO NONA.

In Ecclesia Romana vera morum Regula, verique religionis ritus seruantur.

I. IN hac præsertim scena nouatores tragica sua nobis occinunt, exprobrántque Romanæ Ecclesiæ corruptos mores, inductos abusus, & sacrilegos aut superstitiosos ritus accersitos. Hîc Romam vt celebrem Babylonem, & famosam meretricem, Romanum verò Pontificem vt Antichristum traducunt; vno verbo, in sancta & intaminata maculam agnoscunt, in religiosa superstitionem arguunt. Sed hi toto cælo errant; vt enim in rebus fidei, ita in moribus & sacris ritibus Ecclesia errare non potest, quod sanè luculenter demonstro.

II. Cùm homines, ad obtinendam salutem, hæc duo potissimùm præstare iubeantur, quorum alterum ad sinceram fidem, alterum ad rectam opera-

tionem pertinet; nempe & rectè credere, & rectè agere debemus: vtrumque sanè suâ regulâ indiget, quæ reuerà si absit, vt per errorem falsa credere, ita per ignorantiam malè agere possumus. Et vt in controuersiis fidei certus iudex institutus est, qui verum à falso discernat; ita & in controuersiis morum, qui bonum à malo, honestum à turpi distinguat. Si enim vel vterque, vel alteruter desideretur, Christus haud dubiè fidelibus suis malè consultum esse voluit, quod dici non potest, vtpote qui Ecclesiam suam iis omnibus instructam reliquit, quæ necessaria videbantur.

III. Non minùs necessarium est, scire, quid agere, quàm quid credere debeas, vt perspicuum est; nec tantùm de fide, verùm etiam de moribus rationem redditurus: Christus enim exiget à te, non modò quid credideris, verùm etiam quid egeris. Vt autem rectè agas, certus esse debes, quid rectè fieri possit, vt certus es, quid rectè credas; alioquin in maximo tuæ salutis periculo versaris, quam haud dubiè per fidem duntaxat consequi non vales, nisi bonæ operationis accessio fiat. Certò igitur scire debes, quid sit rectè operari, ne malum pro bono, turpe pro honesto accipias; quod vt certò scias, certa regula necessaria est, quam adhibeas.

IV. Hac autem si Ecclesia careret, portæ inferi aduersùs eam præualerent, quod diuini oraculi veritas minimè permittit: quid enim, quæso, est, portas inferi aduersùs eam præualere, nisi in id discriminis adduci, vt Christi oues in cõmunem ruinam

ab ipsis Pastoribus trahantur, siue doctrinam erroneam docendo, siue prauos & corruptos mores insinuando; hoc enim à pastore oues expectant, doceri scilicet, quid credere & agere debeant; vt autem vera credere, ita bona pariter agere debent: igitur Ecclesia vtrâque regulâ instructa est, quâ & verum à falso, & bonum à malo distinguat.

V. Dicam ampliùs, regulam morum ad fidei regulam referri; vbi enim Ecclesia aliquid faciendum præscribit, ad salutem æternam conducens, v.g. ieiunandum, decimas soluendas, Sanctorum cultum, Sacramentorum vsum, opera charitatis; haud dubiè, saltem tacitè docet, hæc bona esse & rectè facta; hæc enim duntaxat ad finem supernaturalem conducunt; nempe ad bonum finem obtinendum, malum medium adhiberi non debet. Itaque cùm Ecclesia aliquid imperat, vt honestum, & ad finem supernaturalem conducens, illud haud dubiè vt bonum approbat: igitur si malum esse accideret, malum approbaret & vellet; quod certè vel vt tale cognosceret, quod dici non potest; cùm enim nomine Christi, gregem Dominicum regat, illud ipsum censetur approbare & velle, quod vult & approbat Ecclesia; at Christus malum nec vult nec approbat.

VI. Prætereà non pasceret gregem, sed mactaret; nempe in errorem induceret; erratur enim, si malum boni nomine admittatur, qui maximus & grauissimus error est, cùm in re practica consistat. Si verò Ecclesia id per errorem fidelibus faciendum

iniungit, quod honestum non sit, errat haud dubiè, ídque duplici nomine, fidei scilicet & morum; hinc error longè perniciosior esset, vtpote qui non modò intellectum deprauaret, verùm etiam voluntatem ipsam vitiaret. Nec est, quòd aliqui dicant, multas esse leges Ecclesiasticas, quæ cum bonis moribus minùs consentiunt; hoc enim eâdem facilitate refellitur, quâ adstruitur: nempe de iis loquor, quæ ab Ecclesia Romana omnibus Christi fidelibus proponuntur, v. g. de ieiunio, Sanctorum cultu, festorum obseruatione, communionis Paschalis præcepto, aliísque huiusmodi, quæ haud dubiè honesta sunt, & ad finem à Christo nobis propositum mirabiliter conducunt. Nec obstat, finem legislatoris Vicarij sinistrum aliquando esse; quis enim neget, supremum etiam Pontificem peccatis esse obnoxium; nego tamen legem ab eo latam, & omnibus Christi fidelibus propositam iniquam esse.

VII. Quod pertinet ad sacros ritus, non nego, aliquos fuisse mutatos, pro diuersa temporum ratione; cùm enim illorum vsus Ecclesiæ liber relictus sit, non video, cur diuersos diuersis temporibus præscribere nequeat. Nempe dum maneat integra diuinarum, quas Christus nobis reliquit, institutionum substantia, quidni exterius quasi indumentum, prout ratio postulat, aliquando mutetur? Vnum tamen assero, nullum esse ritum ab Ecclesia Romana toti Ecclesiæ præscriptum, qui cum recta ratione non consentiat. Scio, nonnullas superstitiones à nonnullis imprudenter induci, captata sci-

licet

licet ab aliquo sacro ritu occasione; scio, nonnulla per simplicitatem admisceri, quæ aliqua emendatione indigerent; sed aliquid simplicium pietati indulgendum; præterquàm quòd id sacris ritibus tribuendum non est, quod ab imprudentia & simplicitate nonnullorum profectum est. Non hæreo in discussione singulorum, quod certè huius mei instituti ratio minimè postulat, sed id vnum assero, nullum esse, modò rectè administretur, qui ad religionem, Deíque cultum non inducat: sed viderint sectarij, ne vitium administri ad res ipsas sacras, quas ille administrat, traducant.

PROPOSITIO DECIMA.

In Ecclesia duntaxat Romana homines saluari possunt.

I. Cùm hæc Propositio sit ad instar cardinis, in quo tota res ista vertitur, & quasi præcipuum huius controuersiæ caput; in ea demonstranda, paulò maiorem & accuratiorem diligentiam adhibebo, eásque omnes rationes congeram, quibus probari & confirmari potest: quod vt distinctiùs fiat, in totidem quasi capita illas distribuam.

RATIO PRIMA

Ex eo ducitur, quòd sine vera fide nemo saluus esse possit.

I. ACcedentem ad Deum credere oportet; quis autem saluari queat, nisi ad Deum accedat? nempe adhærere Deo summum bonum est, in quo felicitatem ac beatitatem nostrã positam habemus. Prætereà sine fide, vt Deo placeamus, fieri non potest, eáque verâ & legitimâ; quisquis autem Deo non placet, saluari nequit; salus enim nostra diuinâ misericordiâ, Deique erga nos amore nititur; at quisquis Deo displicet, ab eo amari non potest. Denique credentes duntaxat salui fiunt; & hæc est vita æterna, vt Deum & Christum per fidem agnoscant; igitur sine diuinæ fidei subsidio, nemo, qui iam adultus sit, saluari potest; nempe de adultis sermonem institui.

II. Cùm igitur Ecclesia Romana fidem à Christo traditam, & ab Apostolis promulgatam sola retinuerit, per prop. VIII. nec enim fidem, seu dogmata vnquam mutauit, per Prop. V. ij duntaxat veram fidem habent, qui in gremio Romanæ Ecclesiæ viuunt, ac proinde illi duntaxat saluari queunt; alioquin sine vera fide homo saluari posset, quod dici nequit. Et verò hæc ratiocinij forma rem hanc penitus euincit: Ibi tantùm homo saluari potest, vbi vera est fides; in Ecclesia Romana duntaxat vera est fides; in Ecclesia igitur Romana homo duntaxat

saluari

saluari potest. Prima Propositio certa fide tenenda est; altera ex præmissis probatur per Prop. v. & viii. ex his complexio necessaria consequutione deducitur.

III. Cur autem Deus statuerit, fidem & salutem necessariam esse, licèt nostri huius instituti indagare non sit, facere tamen non possum, quin dicam, Deum ita nobis æternam beatitudinem proponere, vt mercedis ac præmij loco sit; præmium autem præuium meritum supponit, hoc vero cultum Dei, obsequium, officium, opus demum, vt aiunt, meritorium. Porro Deus nec coli, nec amari potest, nec quopiam illum officio, vel obsequio nobis demereri possumus, nisi infinitam illius bonitatem, sapientiam, dignitatem, aliáque diuina eius attributa cognoscamus, ídque duntaxat per fidem, cuius lumine instructa mens, ab iis erroribus liberatur, quibus alioquin, si vni duntaxat naturæ lumini crederet, subiecta & obnoxia esset.

IV. Hinc fides principium meriti esse dicitur; non quòd sola fides hominem iustum efficiat; quis enim neget, peccantem adhuc credere? sed quòd eximium illud iustificationis opus, à fide ortum & initium ducat. Primo enim loco, de Deo, quòd sit, & quid sit, credere debemus, antequam in eum speremus, illúmque timeamus, colamus, amemus, nósque illarum noxarum pœniteat, quibus infinitam eiusdem bonitatem offendimus. Fidem igitur, seu voluntatem credendi primæ dispositionis loco adhibeamus, diuinæ scilicet gratiæ subsidio instru-

cti & adiuti; illa enim bona voluntas, quæ prima est ad iustitiam præparatio, à diuina gratia procedit; nempe Deus hominem, non se ipsum homo discernit, & præparat cor hominis, vt in eo charitatem per Spiritum sanctum diffundat.

V. Prætereà inuitum hominem saluare Deus cùm nolit, eius consensum & voluntatem expectat; illud autem quod homo nescit, velle nequit; voluntas enim non fertur in incognitum. Igitur cognoscere debet supremum rerum conditorem & moderatorem Deum, malorum punitorem, & bonorum remuneratorem; itémque seruatorem hominum Iesum Christum: cognoscere, inquam, per fidem; nec enim aliud est cognitionis genus, quod ad hunc finem conducat. Et verò quid, amabò, minus à nobis exigeret, quàm vt fidem eius dictis haberemus; fidem igitur ad salutem necessariam esse voluit, fidem, inquam, veram & legitimam; ibi ergo salus duntaxat est, vbi vera fides est; hæc autem solummodò est in Ecclesia Romana, vt patet ex dictis; igitur in illa homines saluari duntaxat possunt, quod erat probandum.

RATIO

RATIO SECVNDA

Ex eo ducitur, quòd vna sit salutis via.

I. VNa tantùm est via, quæ ducit ad vitam, arcta quidem, vt Christus ipse testatur, qui vt veritas est, cui fidem habere, ita & via, quam sequi, & vita, quam consequi debemus. Ille igitur saluari duntaxat potest, qui salutis viam iniuit; via autem salutis est, vbi veritas est; quisquis igitur in veritate manet, in via salutis est: hinc quisquis à veritate aberrat, à via salutis declinat. Atqui Ecclesia Romana errare non potest, per Prop. VI. igitur quisquis in Ecclesia Romana manet, in via salutis est: cùm verò aliæ sectæ errori obnoxiæ sint, immò re ipsa errent, extra salutis viam esse, necesse est; homo igitur in Ecclesia duntaxat Romana saluari potest.

II. Vt ad felicem salutis terminũ homo perueniat, Christum sequatur oportet; oues enim supremi Pastoris, non modò illius audiunt vocem, verùm etiam illum sequuntur; nempe Christus, vt dixi, vera via est, & quisquis Christum sequitur ducem, in via salutis est, cùm ipse nostræ salutis auctor sit; atqui oues Dominici Gregis, Petri curæ commissæ sunt, atque creditæ, quas scilicet pascere, repetito iterum, atque iterum imperio, iussus est. Petrus igitur in hoc munere Christi Vicarius fuit, itémque Petri successores; nec enim post Petri mortem, oues Christi sine pastore fuerunt, qui scilicet illas pasceret, ea-

rúmque gereret curam. Igitur quisquis Petrum sequitur, Christum, cuius hîc vices gerit, sequi censetur; veram igitur salutis viam iniuit: sed Petrus Ecclesiæ Romanæ caput est; igitur quisquis Ecclesiæ Romanæ membrum est, à Petro pascitur, Petrum sequitur, nec non in via salutis est.

III. Ij verò, qui ab Ecclesia Romana desciuerunt, & à Petro, eiúsque successoribus non pascuntur, sunt extra salutis viam; nec enim Christum sequuntur, qui Petrum sequi non dignantur. Quisquis autem Christum non sequitur, in tenebris ambulat, & nescit, quò vadit; igitur extra viam salutis est, nec filius lucis censeri potest, sed tenebrio, Principi tenebrarum seruiens, non Christo, qui vera mundi lux est, omnem hominem illuminare paratus. Sed illum multi non receperunt, magísque tenebras dilexerunt, quàm lucem; quotquot autem illum receperunt, dedit eis potestatem, quâ filij Dei esse queant; si filij, igitur hæredes Dei, & cohæredes Christi. Christum autem recipit, qui pastores ab eo missos recipit; præsertim supremum Pastorem, eiúsque Successores, Romanos igitur Pontifices. Igitur in via salutis non est, qui Petrum non recipit, sed ab Ecclesia Romana deficit.

IV. Salutis viam ille duntaxat docere hominem potest, qui homini salutis auctor fuit, ipsámque salutis viam iniuit primus, & aperuit. Hinc Regius vates tam enixè apud Deum instabat, vt sibi via Domini aperiretur: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi*, aiebat ille, *& semitas tuas edoce me*; illum autem Deus docet,

docet, quem Christus docet; hic est enim dilectus filius, quem vt audiamus, æternus Pater nos monet. Porro ille Christum audit, qui Petrum eiúsque Successores audit, quibus pascendi gregem Dominicum munus incumbit; quisquis enim vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Atqui in Ecclesia Romana Petrum audimus, eius oracula excipimus, stamus dictis, & legibus obtemperamus; illum autem spernunt, qui ab Ecclesia Romana recesserunt; sunt igitur extra salutis viam, nos in ea sumus.

V. Si cœcus cœcũ ducit, ambo in foueam cadunt, quod diuinæ veritatis oraculum est; in via salutis duce opus est; vbi enim pastor desideratur, oues disperguntur; Pastoris autem munus est, regere ac ducere oues. In Ecclesia Romana ducem & pastorem habemus, quod nemo negat; in qua scilicet bonus ille Pastor, qui pro suis ouibus animam & vitam posuit, suum Vicarium reliquit atque instituit; extra illam pastores non sunt; quis enim hoc iis munus credidit? quo iure illud sibi vsurparunt? qua auctoritate alios regunt? Ab iisdem ouibus eliguntur, & instituuntur: esto; in re ciuili & humana nõ nego id fieri posse, at in re diuinæ fidei & salutis secus accidit; nec enim homines auctoritatem illam, erroris nesciam, conferre possunt. Quisquis ergo extra Ecclesiam Romanam, pastoris munus sibi vendicat, cœcus est, cui scilicet diuinæ veritatis, quæ fallere nesciat, radius minimè affulget; cœcus igitur cœcum ducit, ambóq; in foueam æternæ damnationis cadunt. Igitur in Ecclesia duntaxat Romana vera salutis via est, quod ostendendum susceperam.

RA-

RATIO TERTIA

Ex eo ducitur, quòd vna tantùm Christiana lex sit.

I. MVltiplex legis ratio est, vt nemo nescit; vnica tamen lex Christiana & Catholica est, vt in Dato IX. à me demonstratum fuit; vt enim vnica est fides, ita vnam legem esse, necessaria consecutione deduxi. Et vt vera fides penes Ecclesiam Romanam est, vt ostendi Prop. VIII. ita veram Christi legem apud eandem esse, necessariò concludo. Denique vt fidem Ecclesiæ Romanæ à fide Protestantium, aliorúmque Sectariorum discrepare, luculenter euici Prop. IV. ita & legem nostram ab eorum lege diuersam esse, manifestum est; igitur Ecclesia duntaxat Romana veram Christi legem seruat.

II. Cùm autem ij saluari duntaxat possint, qui Christi legem seruant; quisquis enim vult beatam vitam consequi, mandata seruet, necesse est, cùm hæc via ducat ad vitam; præcepta, inquam, & Dei, & Christi, cuius singulare mandatum est, vt Ecclesiæ pareamus, germanæ scilicet & Catholicæ; atqui præter Romanam, nulla est alia vera & legitima, per Prop. VII. quisquis autem Ecclesiam non audit, Ethnici & Publicani loco habendus est. Quisquis igitur Ecclesiæ legibus non paret, Christi legem non seruat; sed quisquis Christi legem non seruat, saluus esse non potest, cùm per Christum saluari

dun-

duntaxat possimus; rebelles autem saluari non vult, nisi resipiscant; nam quisquis legem Domini violat, peccat; peccatum verò à salute excludit, vt nemo nescit, nisi per pœnitentiam expungatur, Deóque fiat satis.

III. Itaque cùm Ecclesia Romana duntaxat legem Christi habeat, quâ certè aliæ sectæ penitus carent, quamuis dictitent, legem Euangelicam apud se vigere; hinc nonnulli inter sectarios, euangelici vocari volunt; & cùm sine Christi lege homines saluari nequeant, hoc vnum restat, vt certò concludam, in Ecclesia duntaxat Romana homines saluari posse. De adultis loquor, à quibus Christus exigit diuinæ fidei & Christianæ legis professionem; illúdque vitæ genus, quod Christus suis præscripsit, in quo scilicet Christianis legibus subiiciuntur, quarum præcipuum caput est, vt Ecclesiæ pareant, Ecclesiæ, inquam, veræ & Catholicæ, scilicet Romanæ.

IV. Et verò fieri non potuit, quin Christus supremus Legislator legem à se præscriptam atque traditam alicuius curæ commiserit. Sic Reges & Principes, magistratus & iudices instituunt, qui legum ab iis latarum obseruationi inuigilent, transgressorésque puniant; aut si quid in lege ambiguum est, illud explanent, & Principis mentem subditis aperiant. Quis autem à Christo hanc legis suæ curam omissam esse sibi persuadere valeat; in quo, vt liberè dicam, eius prudentiam homines desiderarent; igitur legem suam Ecclesiæ, pastoribus scili-

cet, ac præsertim supremo Pastori, ac visibili capiti commisit, vt eam ab omnibus seruari curaret, eiúsque integritati consuleret. Hinc si aliquid offensionis intercurrat, *dic Ecclesiæ*; adhibita priùs monitione; & si frater tuus Ecclesiam non audierit, eum fratris loco non habebis, sed rebellis & hæretici. Hîc autem nomine Ecclesiæ, Romana duntaxat venit, vt suprà demonstratum est; ex eo igitur, quòd vna duntaxat lex Christiana sit, sine qua homines saluari nequeunt, & quæ penes Ecclesiam Romanam est, optimè probatur, in hac duntaxat homines saluari posse.

RATIO QVARTA

Ex eo ducitur, quòd vnus sit tantùm spiritus veritatis.

I. QVòd vnus tantùm sit spiritus veritatis, ex Dato VIII. perspicuum est; quòd autem sine illo salutem consequi non possimus, multiplici ratione probatur. Quis enim saluari queat, nisi Domini Iesu nomen inuocauerit? nempe aliud non est sub cælo nomen, in quo saluari nos oporteat; atqui nemo dicere potest Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Præterea vt quis ab erroribus liber sit, verum à falso, lucémque à tenebris distinguere debet; quis autem nescit, hunc spiritum esse, qui docet nos omnem veritatem; nisi enim illam nos doceat, vnde amabò illam accerse-

mus?

mus? Deinde sine præscripto nobis orationis subsidio saluari nequimus; iis enim caremus auxiliis, quæ cùm ad salutem necessaria sint, ea duntaxat petentibus & orantibus concedere statuit; atqui Spiritus sanctus est, cuius virtute, preces nostras fundimus & condimus, hic enim orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

II. Accedit, quòd Spiritûs sancti dona & fructus, aliáque multiplicis gratiæ subsidia saluari volentibus necessaria sunt; cùm nemo sine diuinæ gratiæ operâ saluari queat. Quis autem nescit, Spiritum sanctum huius piæ largitionis auctorem esse; nempe ab illo perenni diuini erga nos amoris fonte omnis gratia procedit. Hinc corda nostra suo igne accendit, mentem sua luce perfundit, animum suo rore fœcundat, totum pectus suis motibus concutit: quid plura? in hac miseriarum valle, & mortalis vitæ angustiis, nisi aliquo diuinæ consolationis sensu recreemur, diu tot mala ferre non possumus; deficimus in via salutis, & tandem in desperationem agimur. Quis autem nescit, sanctum Spiritum optimum Consolatorem esse, & vnicum Paracletum, qui nos in nostra tribulatione consolatur, atque recreat.

III. Certum est igitur, hominem saluari non posse, nisi Spiritûs sancti ductu veram Christi fidem & legem profiteatur, eámque ineat vitæ formam, ac viam, quam Christus veram & certam esse docuit, atque adeò eundem Spiritum sanctum misit, vt homines illam doceret, eósque suo instinctu, ad rectè

viuen-

viuendum sollicitaret & excitaret. Hinc diuina charitas, quæ Christianæ legis quædam quasi coronis est, vel summa in cordibus nostris diffusa per Spiritum sanctum; hinc tam multiplicis gratiæ ortus ac deriuatio, præuenientis, excitantis, adiuuantis, comitantis, subsequentis, vocantis, illuminantis, trahentis, pulsantis, recreantis, &c. Omnis enim gratia à Spiritu sancto est, diuini amoris fonte, vel alueo; at sine diuina gratia saluari non possumus, quod nullus hæreticus, præter Pelagium, negauit.

IV. Vbinam porro Spiritum sanctum nancisci possimus, nisi in Ecclesia Catholica, non intelligo; cùm enim ibi esse non possit, vbi error est, cùm sit spiritus veritatis, cui omnem veritatem, omnes Christi fideles docere incumbit; & cùm Ecclesia duntaxat Catholica erroris immunis ac expers sit, vt ostensum est in Prop. I. nam vbi error est, Ecclesia non est; cùm demum Ecclesia Romana errare non possit, per Prop VI. nec fidem mutare per V. sed eam sola retinuerit per VIII. ac proinde vera & legitima duntaxat Ecclesia censenda sit, per Prop. XVII. inde, ni fallor, perspicuè concludo, in Ecclesia duntaxat Romana Spiritum sanctum haberi posse, eúmque eidem Ecclesiæ assistere, ac impedire, ne portæ inferi aduersùs eam præualeant: vnde sequi manifestum est, in ea duntaxat homines saluari posse.

RATIO

RATIO QVINTA

Ex eo ducitur, quòd vnus sit salutis nostræ auctor Christus.

I. VNum esse salutis nostræ auctorem ac intercessorem, aut mediatorem, vt vocant, Christum, adiaphori non negant; sed vno communíque consensu profitentur. Nemo enim venit ad Patrem, nisi per Filium; & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare; nisi autem cognoscamus Patrem, & quem misit Iesum Christum, vitam æternam consequi non possumus. Christus Ecclesiæ caput est; nisi membra capiti adhæreant, spiritum ac virtutem ab eo accipere non possunt; membrum verò spiritu ac virtute vitali priuatum, non viuit. Christus vitis est, nos palmites; si palmes in vite non manet, non viuit, sed statim arescit, nec illum vitæ fructum producit, quem supremus agricola ab eo exspectat; igitur quisquis in Christo, & cum Christo non manet, spe omni salutis excidit.

II. At quisquis ab Ecclesia, cuius Christus caput est, desciuit, cum Christo coniunctus esse nequit; membrũ enim à corpore rescissum, cum capite coniunctum esse non potest, vt nemo negat. Cùm igitur Ecclesia Romana, vera Christi duntaxat Ecclesia sit, per Prop. VII. quisquis ab ea desciuit, in ea non est; igitur in mystico Christi corpore non manet; cum Christo igitur non est; contra Christum igitur est.

Sed quisquis cum Christo non est, saluari nequit; nam cum Christo Sancti omnes regnabunt; & vbi Christus est, illic & minister Christi erit. Quis autem nescit, Christum prædestinatorum primitias esse, ipsúmque cælestis gloriæ regem, cuius haud dubiè illi participes non erunt, qui Christo coniuncti non sunt; igitur quisquis ab Ecclesia Romana seiunctus est, vt cum Christo non est, ita saluus esse non potest.

III. Quòd autem Christus cum Ecclesia sit, dubium esse non potest; sponsus scilicet cum sponsa, dilectus cum amica: *Omnibus diebus vobiscum sum*, inquit, *vsque ad consummationem sæculi.* Vobiscum, inquam, scilicet cum Petro, aliisque Apostolis, qui Ecclesiæ corpus, primis illis temporibus constituebant, vt hac tempestate, Petri & Apostolorum successores eandem componunt. Igitur qui cum Petro non est, cum Christo non est; atqui cum Petro esse censentur, quotquot sub Ecclesiæ Romanæ vexillis militant; ergo isti duntaxat saluari possunt, qui in eiusdem Ecclesiæ gremio viuunt.

IV. Quotiescunque duo vel tres in nomine Christi congregati sunt, Christus est in medio eorum, vt ipse vltrò pollicitus est. Quinam porro in nomine Christi congregentur, facilè intelligitur; ij scilicet, quibus auctoritatem regendi Ecclesiam Christus concessit; Petrus in primis, cui dictum est: *Pasce oues meas, pasce agnos meos*; nec enim pascendi regendíque munus, sine auctoritate concessum est. Quid autem, amabò, est, nomine Chri-

sti aliquid agere, nisi eiusdem auctoritate valere? sic lex nomine Regis lata, ab eiusdem auctoritate profecta censetur. Igitur Christus cum Petro est, eiúsque successoribus, Ecclesiæ Romanæ Pontificibus, aliísque Ecclesiæ Pastoribus, in nomine Christi congregatis, auctoritate scilicet ab eo, per Petrum accepta; est enim Petrus Ecclesiæ caput, Christi Vicarius, ac proinde illi reliqui Pastores subiecti sunt. Hinc non agnos modò, sed & oues pascere iussus est; immò vbi fortè aliquis ex inferioribus Pastoribus à Petro discedit, ab Ecclesia desciscere censetur, nec ampliùs nomine Christi quidquam agere potest.

V. Itaque ex præmissis perspicuum est, Christum esse cum Ecclesia Romana, non tamen cum iis, qui ab eo seiuncti sunt. In Christo verò saluari duntaxat possumus; & si quid petierimus Patrem in eius nomine, dabitur nobis: regnum autem cælorum quotidie petimus, æternámque felicitatem, quam Deus amicis suis præparauit. Igitur in nomine duntaxat & auctoritate Christi saluari homines queunt; auctoritas Christi extra Ecclesiam non est, Romanam scilicet, quæ sola est, vera & legitima Ecclesia; igitur extra Ecclesiam Romanam saluari homines non possunt.

RATIO SEXTA

Ex eo ducitur, quòd vna sit vita charitatis diffusæ in cordibus nostris.

I. QVi manet in charitate, in Deo manet; quia Deus ipse charitas est; Deus verò summum nostrum bonum est, & vltimus finis, cuius fruitio, seu possessio beatos nos facit; igitur sine charitate, beati esse non possumus, immò sine charitate nihil facimus, nihil possumus, nihil penitus ad salutem confert. Hæc inter virtutes Theologicas primo loco est, vt Doctor gentium testatur, quam etiam extincta fide, & sublata spe, in cælis habituri sumus. Præterea vna est via mandatorum, quæ ducit ad vitam; quod veritas ipsa luculento attestatur oraculo; at plenitudo legis dilectio est, & maximum mandatum illud est, quo Deum; secundum verò, quo proximum diligere iubemur.

II. Accedit, quòd charitas in cordibus nostris diffusa per Spiritum sanctum, diuina eiusdem cordis vita est; vita, inquam, interioris hominis, non veteri Adamo, sed nouo, scilicet Christo, similis. Illa est principium illarum motionum, quibus animus ad Deum fertur, & ad eum accedit. Cùm igitur ad obtinendam beatitatem nostram, accedere ad Deum oporteat, nisi charitas Dei moueat nos, atque vrgeat, inertes & immobiles iacemus; iter illud, quo itur ad astra, gressibus amoris & charitatis conficiendum est; veste illa nuptiali ornati

sint,

sint, necesse est, qui ad cælestis sponsi mensam vocati sunt. Vno verbo, si charitas absit, amici Dei esse nequimus, nec filij, nec hæredes; igitur sine charitate saluari non possumus.

III. Charitas autem esse non potest, vbi vera fides non est, & ibi duntaxat charitas est, vbi vera est fides; licèt enim cœcus amor esse dicatur, quia cœca voluntas est, intellectu tamen duce, tutò graditur; nec in incognitum ferri potest. Porro vt charitas caloris supernaturalis focus, ita fides cælestis luminis fons est; & vt illa cor nostrum accendit, ita hæc mentem nostram illustrat. Cùm igitur in Ecclesia duntaxat Romana, vera sit fides, vt ex prima Ratione, & ex Prop. VIII. perspicuum fit, in ea duntaxat charitas est; igitur in ea duntaxat homines saluari queunt, qui sine charitate saluari nequeunt.

IV. Præterea cum tanta animorum dissensione charitas coniuncta esse non potest; hæc enim consensionem & vnionem voluntatum conciliat, quam haud dubiè animorum dissensio dissoluit. Quis autem non videt, fideles Ecclesiæ Romanæ filios semper idem, certa & indubitata fide tenuisse, vt constat ex Propos. V. & VIII. illi ergo dissensionibus & controuersiis aditum nunquam dederunt. Secus verò illi, qui ab Ecclesia Romana desciuerunt, auitæ fidei vale dixerunt, pleraque dogmata mutarunt; ab Ecclesia, optima scilicet parente discesserunt, eius neglexerunt monita, detrectarunt imperia. Quis, amabò, neget, dissensiones ab iis ortum duxisse? sacram igitur charitatis fibulam resciderunt;

charitas igitur in iis non est, nec ipsi in charitate manserunt; in eo igitur statu sunt, in quo saluari nequeunt.

V. Quæ porro illorum charitas fuerit, qui ab Ecclesia Romana desciuerunt, in omnibus Europæ Prouinciis innumera ferè rerum gestarum monumenta testantur; ædes sacræ direptæ, dirutæ, incensæ; sacræ virgines violatæ; tot sacerdotum & cœnobitarum millia vltimo supplicio affecta; sacra omnia polluta & profanis vsibus addicta; Sanctorum cineres & exuuiæ proiectæ; tot ciuitates solo æquatæ, vel raptâ prædâ exhaustæ: adde afflictas insigni sanctimonia viris calumnias. Hæc & alia his similia Christianæ charitatis sunt argumenta, quam sectarij præseferunt: immò ausim dicere, vix Ecclesiam ab ipsis gentilibus idololatris peiora passam fuisse, quàm à sectariis.

VI. Si verò alia ex parte, eorum charitatem animo perpendas, qui Ecclesiam Romanam agnoscunt; vt omittam tot xenodochia & nosocomia, & illustres passim sanctitate & nobilitate homines, ægrorum & peregrinorum ministeriis & famulatui addictos: Quid, amabò, illorum charitate illustrius, qui animarum conuersioni sedulam operam nauant, quique ob eum finem, tam lõgis itineribus, tot periculis & incommodis sese vltrò committunt atq; exponunt; qui patriâ relictâ, iisque omnibus solatiis, quæ ab hominibus tanti fiunt, barbaras nationes, per tot discrimina rerum omnium adeunt, vt earum conuersioni strenuè incumbant, pro qua non dubitant

tant

tant gloriosam oppetere mortem? quantus porro sit eorum numerus, qui solo charitatis ductu, vt barbaros ad Christi fidem adducerent, sanguinem cum vita fuderunt. Nemo igitur in dubium reuocet, quin charitas in Ecclesia Romana vigeat, cuius tam eximia extant monumenta; cùm tamen apud sectarios ne minimum quidem illius vestigium sit: vnde concludo, in Ecclesia duntaxat Romana homines saluari posse, cùm sine charitate nemo prorsus saluus esse queat.

RATIO SEPTIMA

Ex eo ducitur, quòd nulla fides Romanis & Protestantibus communis sit.

I. Ecclesiæ Romanæ fidem à fide protestantium Caluinistarum, aliorúmque sectariorum omnino differre, in Prop IV. iam à nobis ostensum est; si autem altera differt ab altera, nulla vtrique communis est; nempe ratio credendi vna est, quæ reuerà si absit, nulla est fides; si verò adsit, tota est. Igitur cùm in multis articulis sectarij à nobis discrepent, ratione credendi penitus carent; nihil igitur, vt par est, credunt, nulla igitur fides nobis cum illis communis est; si autem nulla fides communis, nulla salus communis erit; hæc enim ad instar præmij est; præmium verò supponit meritum, & meritum fidem, quæ omnis meriti principium est, vt nemo negat.

II. Hinc ergo necessaria consequutione dedu-

eo, in Ecclesia duntaxat Romana homines saluari posse, penes quam scilicet vera fides est, quâ reliqui sectarij carent; quid mirum ergo, si saluari non possint, cùm sine vera fide nemo prorsus saluari queat? igitur quibus fides communis non est, salus etiam communis non erit. Accedit, quòd, quibus fides communis non est, spes communis esse non potest. est enim fides sperandarum substantia rerum; & nisi spes diuinarum promissionum certitudine nitatur, subsistere nequit; at diuinarum promissionum certitudinem, certa duntaxat fide tenemus; sed vbi vera fides non est, certa minimè censetur; sectarij igitur certa spe non gaudent: illam igitur beatitudinem assequi non possunt, quam certò sperare nequeunt.

III. Denique si fides communis non est, igitur nec religio, nec Ecclesia communis; finis ergo æternæ salutis communis non est; nempe extra Ecclesiam salus non est, vt vel ipse Caluinus vltrò fateri cogitur; tanta enim veritatis vis est, vt vel ipsos aduersarios ad spontaneam confessionem adducat. Accedit, quòd si eadem religio non est, vt reuerà diuersam esse constat, diuersum quoque Dei cultum esse, necesse est, ab eo scilicet, quem Deus mortalibus præscripsit, hunc enim certa fide tenemus. Igitur quisquis hac fide non gaudet, in Dei cultu errat, qui cùm à Deo præscriptus sit, vt illius quasi ductu ad cælestem felicitatem perueniamus, quam Deus nobis, vt præmium proposuit, quid mirum, si, cùm verus Dei cultus absit, quo Deum sibi demere-

ri

si homines possint, diuinâ gratiâ & gloriâ excidant?

IV. Itaque sectarij, qui diuersam à nostra fidem profitentur, ab Ecclesia desciuerunt, religionem & legem cum fide mutarunt, alium à legitimo & nobis præscripto Dei cultum adhibent; æternam igitur mercedem expectare non possunt, nec æternæ beatitudinis participes fieri, quæ fidelibus duntaxat seruis, diuinæ legis obseruatoribus promissa est: non verò iis, qui iugum excusserunt, à vera religione defecerunt, quam ex diuinis oraculis accepimus. Licèt enim sacris Codicibus credere videantur, cùm tamen sine certa regula id fiat, certa fides non est, quâ reuerà deficiente, totius religionis, legis, diuini cultûs & nostræ salutis corruit fundamentum.

RATIO OCTAVA

Ex eo ducitur, quòd defectionum auctores tales non fuerint, vt iis fides habenda sit.

I. DE summa rei vbi agitur, nihil sanè omittendum, negligendum nihil, vt res ad optatum finem perducatur; nullis laboribus, industriæ nulli parcendum, vt felicem exitum procuremus; error enim decumanus est, qui deinde reparari nequit. Iacturam rerum caducarum haud ægrè ferre possumus; at verò æternarum, intolerabilis iactura est. In mortalis huius vitæ discrimen facilè adduci possumus; leuioris momenti alea

est; at vbi de vita æterna & cælesti gloria agitur, nihil aleæ committendum, sed adhibenda summa diligentia, vt tandem illam assequi valeamus: illud porro vnum necessarium est; quid enim homini prodest, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

II. Hinc vix dici potest, quantæ auctoritatis robore opus sit, vt quis eam religionis formam amplectatur, ad quam illum quispiam hortatur. Vt solum vertas, adduci non potes, nisi infinita propemodùm rationum vis, ad id faciendum te moueat; vt verò religionem mutes, eum scilicet vitæ modum, quem eo duntaxat animo adhibes, vt cælestis muneris laurea, nullo negotio tibi persuaderi sines. Reuerà, si quid video, hoc vnum maximè perspicuum est, in re tanti momenti, & tam ardui negotij, fidem omnibus habendam non esse; multa esse in examen vocanda, & diligentissimè discutienda: quis ille sit, qui noua fidei dogmata suggerit, quibus moribus instructus, quo ductus instinctu, quo animo, quo fine, quid eum ad mutationem impulerit, quæ ratio, quæ causa defectionis, quæ modestia in scriptis, moderatio in dictis, integritas in factis; hæc & alia similia accuratissimè ponderanda sunt, ne in errorem inducamur.

III. Lutherus is non fuit, cuius authoritas apud aliquem tanti sit, vt eum ad mutandam religionem inducat; iis moribus, ea charitate, iis virtutibus non fuit, quæ tantam illi fidem conciliarent: eum ducem in via salutis sequi non debes, cuius malè com-

compositi mores eiusdem salutem in magnum discrimen adducunt. Illa singularis proteruia, palmaris superbia, innatum temperantiæ, castitatis, & pœnitentiæ odium; illa frequentia periuria, soliti furores, spumantes iræ, nota desperatio, & celebris apostasia, aliáque id genus elogia, eum hominem esse persuadent, cui non modò in re salutis, fides habenda non sit, sed ne quidem in alio longè minoris momenti negotio.

IV. Caluinus corpore & sensu Luthero temperatior, animo tamen intemperatior fuit, acerrimi vir ingenij, sed atræ bilis vitio supra modum laborans; hinc mania, furor, odium, desperatio, mordacitas, venenum cùm linguæ, tum styli, tumultuum & factionum amor, aperta superbia: Zwinglius, Carlostadius, Melancthon, OEcolampadius, Bucerus, aliíque sectariorum principes non dissimilis farinæ homines extiterunt; maiori scilicet ex parte apostatæ & transfugæ, quorum mores & indolem habes non modò apud auctores Catholicos, verùm etiam apud alios, qui aperta aduersùs Ecclesiam Romanam odia præferunt.

V. Quis ergo huiusmodi hominibus, quorum doctrina noua & suspecta, mores corrupti, ingenia turbida, delicta publica, quíque ab Ecclesia Romana, suísque claustris discesserunt, vt eas vitarent pœnas, quas eorum scelera postulabant: quis, inquam, huiusmodi hominibus, non dico rem suam domesticam, vxorem, liberos, pecuniam, mortalem vitam, sed animam salutémque suam æternam

pru-

prudenter credat? quis eorum auctoritate ducatur, vt Ecclesiæ Romanæ auctoritatem parui pendat, tot sanctorum Patrum testimoniis confirmatam, tot Martyrum sanguine comprobatam, tam multiplici virtutum, & sanctimoniæ splendore illustratam? Tota Antiquitas, maioresque nostri, tot selecta virorum capita, tot Christi pugiles, qui nullo priuati commodi studio ducti, parentes, patriam, amicos vltrò relinquunt, vt fidem Christi barbaris nationibus prædicent, vitámque pro illa cum sanguine fundant; illi, inquam, omni asseueratione affirmant, & proprio confirmant sanguine, Ecclesiam Romanam veram Ecclesiam esse, extra illam neminem saluari posse. Lutherus nescio quis cucullatus transfuga, Zwinglius parochus perduellis, Caluinus Canonicus exauctoratus, alijque eiusdem instituti homines contrarium asserunt; quis, amabò, his potiùs, quàm illis fidem habeat?

VI. Præsertim in tanti momenti re, in qua si semel, etiam per crassum errorem, errare accidat, iacta est alea; hîc enim de summa rei agitur, de æterna scilicet animæ salute. Itaque si quid video, vel intelligo, nemo prudenter factum esse putabit, suspectæ saltem illorum hominum fidei suæ salutis negotium cõmittere, quibus vix generosum equum, vel marsupium crederet. Et si rem hanc sectarij attentè perpendant, huiúsque argumenti vim, rationísque momentum ponderent, nullus dubito, quin clarissimè perspiciant, quàm leuiter, quàm impudenter & temerè se suáque omnia nouis illis suis

apo-

apostolis tradiderint, qui nec miraculis, nec sanctioris vitæ exemplis, nec morum integritate, nec legitimæ missionis instrumentis suam doctrinam confirmare vnquam potuerunt.

RATIO NONA

Ex eo ducitur, quòd nemo ferè vnquam mero salutis studio ductus ab Ecclesia Romana desciuerit.

I. QVi sibi nequam est, alteri bonus esse nequit, & quisquis ab Ecclesia Romana desciuit, alio, quàm propriæ salutis studio ductus, alteri, vt ab ea desciscat, bonus auctor esse non potest; ordinata enim charitas ab eo, cuius est, incipit, nec alienam salutem vero ductus zelo procurat, qui suam negligit: nempe verus zelus veram ac germanam charitatem supponit, & hæc in Dei bonum fertur; atqui propria cuiusque salus æquè ac proximi, ad Dei bonum pertinere censetur. Præterea diuina lege ac Dei præcepto cuilibet incumbit, sibi constitutum ac propositum finem prosequi, hoc est, propriæ saluti consulere, quod vbi negligit, diuinam violat legem; quisquis autem Dei præcepta non exequitur, germana charitate non pollet; quisquis enim diligit me, ait Dominus, mandata mea seruat; igitur quisquis negligit suam salutem, alienam procurare non potest, vero scilicet zelo ductus, vt suprà dictum est.

II. Quis

II. Quis autem nescit, nullam ei fidem adhibendam esse, qui vero zelo minimè ductus, ad mutandam religionem alios hortatur, atque inuitat; nec ducitur æternæ salutis studio, sed factionis potiùs & pertinaciæ? an fortè illi te tuámque salutem credes, qui de illa parum sollicitus, te quidem contumaciæ ac proteruiæ, non tamen æternæ gloriæ ac beatitudinis socium exposcit? An fortè illi maiorem fidem habendam esse existimabis, quàm Petro, eiúsque successoribus, quibus tuæ salutis cura commissa est, dum te cum reliquis Christi ouibus pascere iussi sunt, pro quibus denique Christus orauit, ne illorum vnquam fides deficeret, vt tuam, si quando nutaret, ipsi confirmarent; quàm Petro, inquam, alijsque Apostolico zelo flagrantibus viris, qui pro tua salute, Christi exemplo, sponte ac vltrò vitam cum sanguine profundere parati sunt; nullo propriæ vtilitatis, vel commodi studio ducti, sed tuæ duntaxat salutis, ac diuinæ gloriæ amore flagrantes?

III. Porro quòd ij ferè omnes, qui ab Ecclesia Romana desciscunt, & ad Protestantes vel Caluinistas conuolant, id minimè faciant, propriæ salutis studio, sed propter alios fines, certius est, quàm vt vel minima probatione indigeat. Hunc egit desperatio, illum furor atque odium; alium supplicij promeriti metus, nonnullos inusta infamiæ nota, plerosque voluptatis ac licentioris vitæ desiderium. Omitto inuidiam, superbiam, maioris lucri spem, cuncta innouandi libidinem, diuitias, dignitates,

aliá-

aliáque huiusmodi, quæ maximam apostatarum & transfugarum partem ad auitam religionem relinquendam, nouámque amplectendam incitarunt, in quibus nulla procurandæ salutis ratio habetur, nullus diuinæ gloriæ est locus.

IV. De Luthero, nemo est, qui nesciat, quo animo, quo fine ab Ecclesia desciuerit; quot motibus inuidiæ, odij, furoris, timoris ac desperationis actus sit; quàm tumultuum ac voluptatum amans, dissensionum & factionum auctor. De Caluino proscripto, & vt multi asserunt, nigro theta notato, criminis pessimi reo, nihil est, quod dicam; res per se ipsa loquitur. De Zwinglio, Carlostadio, Theodoro Beza, OEcolampadio, Petro Martyre, aliisque, qui tum ab Ecclesia, tum à sacro cœlibatûs ordine defecerunt, constans fama est, quo studio ac fine ducti id fecerint. Quidquid sit, ne hîc accusatoris partes agam, certum est, eos solum non vertisse virtutis amore, sed vel formidine pœnæ, vel liberioris vitæ desiderio, vel rerum nouarum cupidine, vel alio quopiam, quod minus honestum erat, incitamento.

V. Itaque cùm nemo, saltem inter prima sectarum capita, ab Ecclesia Romana discesserit, merâ procurandæ salutis causâ, inde non leuis ratio ducitur, extra Romanam Ecclesiam, procurandæ salutis modum non esse; alioquin propriæ salutis studio ij tenerentur, qui ab ea discedunt; & hæc discessio eò, vt plurimùm saltem, spectaret. Quis autem vel animo fingere possit, religiosi instituti homines,

præser-

præsertim eos, qui austerius vitæ genus amplexi sunt, ad Lutheranos, vel Caluinistas confugere, vxorem ducere, pias omnes, quæ priùs familiares erant, virtutum exercitationes reiicere, vt placato Deo, obtentáque peccatorum veniâ, beatitudinem assequantur?

VI. Scio quidem, à plerisque transfugis, procurandæ salutis speciem obtendi; sed nugæ, mera fictio est, quam, vbi ad nos redeunt, vltrò fatentur; alium finem dubio procul omni sibi proponunt; eúmque multiplicem, qui vt plurimùm neminem latet; sed de his hoc loco disputandi locus non est. Ex alia verò parte, quotquot ab iis ad nos accedunt, si aliquot vagos nebulones excipias, alium finem sibi non proponunt, quàm propriam salutem; hinc tot lacrymæ atque gemitus, vsúsque melioris vitæ. Vnde profectò, ni fallor, concludere possumus, in Ecclesia duntaxat Romana homines saluari posse; cùm ab ea nunquam transfugæ accedant, vt saluti suæ consulant, secùs verò multi ex sectariis in eam admitti curent, vt saluari possint.

RATIO DECIMA

Ex eo ducitur, quòd pauci sint, quos ignorantia inuincibilis, vt vocant, excuset.

I. PAuci sunt, inquam, inter sectarios, quos ignorantia inuincibilis, vel inculpabilis, sic enim appellant, excuset; nempe duplex

vulgò

vulgò distinguunt ignorantiæ genus, inuincibilis scilicet & crassæ, inculpatam dicemus, & culpatam. Prima est, quâ sine culpa aliquid præceptum omittitur, quia sine culpa ignoratur; secus verò alia, quæ sine peccato non est, quia ex propria malitia ortum ducit. Prima excusat à peccato, vt iam suppono, & Catholici omnes ita sentiunt; secus verò secunda: quamquam si peccatum primæ attribuas, ad rem præsentem nihil penitus facit, tunc enim nulla prorsus ignorantia excusaret, ac proinde nulla inculpata censeretur. Sed quandoquidem cum iis hominibus ago, qui volunt multos hoc nomine excusari, ac proinde saluari, licèt Ecclesiam Romanam minimè agnoscant, vltrò admitto cum omnibus Catholicis, aliquam reuerà ignorantiam inculpatam esse.

II. Quòd autem paucos, scilicet ex Protestantium & Caluinistarum secta, excuset, mihi probandum incumbit, atque inde concludendum, in Ecclesia duntaxat Romana homines saluari posse. Vtrumque autem facilè conficio; primum quidem, quia ignorantia inculpata ea solùm est, quæ hominem in eo vitæ statu supponit, in quo ne minimum quidem dubium in mentem illi veniat, vel minima cogitatio de ignorato præcepto; nulla illius, quam profitetur, sectæ suspicio; nullus errandi in fide metus; sed firmiter tenet, nullam aliam religionem esse, in qua rectiùs viuere, Deo placere, peccatorum veniam ac remissionem, & tandem vitam æternam consequi valeat.

III. Nempe si anxius de admissis peccatis viuit, adhibito scilicet remedio, iuxta suæ legis ritum & formam; si dubitat de iis dogmatis, quæ à Pastoribus proponuntur; si Pastores inter se minùs consentire quotidie videt; si pertinaciam, inconstantiam, iactantiam, maledicentiam, aliásque vitiorum notas, quæ prædicatores Apostolicos minùs decent, in iis identidem obseruat; si variis ac veris conscientiæ motibus, sæpe ac sæpius concutitur, qui haud dubiè à diuina gratia procedunt. Hæc & alia huiuscemodi dubio procul omni faciunt, ne ignorantia inculpata sit; nempe inde saltem obligatur, diligentiùs inquirere; quod nisi faciat, peccat; nec illum excusat ignorantia, quam affectat; hinc crassa vulgò dicitur, ego culpatam appello, cùm à culpa minimè liberet.

IV. Porro inter sectarios pauci sunt, quibus aliquod, illúdque rationabile suæ fidei ac salutis dubium subortum non sit; qui iustis conscientiæ stimulis ob eam causam aliquando non agitentur; quibus aliqua saltem cogitatio de fidei Catholicæ bonitate in mentem non cadat, aut diuini luminis radius non affulgeat; spiritus enim vbi vult, spirat. Sed cuncta hæc sufficiunt ad hoc, vt ignorantia culpata sit; ex his enim quiuis facili consequutione concludit, suæ saluti diligentiùs consulendum esse, ac proinde teneri se ad maiorem veritatis inquisitionem, vt viam salutis doceatur; quod cùm facere omittat, in hoc reuerà peccat, nec eum ignorantia excusat; igitur inculpata non est.

V. Scio

V. Scio quidem, cuncta hæc ab iis vltrò negari; palàm enim se ac sua iactant, omnique asseueratione affirmant, se suæ fidei ac religionis certos esse, omnisque dubij expertes; suæ legis bonitatem sibi compertam ac perspicuam esse: hæc, inquam, palàm dictitant & iactant. Sed quotquot ad nos migrârunt, arcana reserant, ac vltrò fatentur, se cum multa anxietate vixisse, nec sibi vnquam in ea secta factum esse satis; nihil se vnquam certò credidisse, ac de plerisque dubitasse, præsertim cùm ipsi Pastores de dogmatis inter se minimè conuenirent; sæpius actos se conscientiæ stimulis, sed contra stimulum calcitrasse. Lutherus ipse de se asserit, prædictos conscientiæ stimulos post multos solummodò annos, ex quò ab Ecclesia Romana desciuerat, extinctos fuisse. Si totius sectæ Princeps hoc ipsum de se fatetur, quid de aliis, quæso, censendum est? Certum igitur est, paucos esse, quos inculpata ignorantia excuset; vnde tandem concludo, in Ecclesia duntaxat Romana homines saluari posse; licèt enim aliquos fortè prædicta ignorantia excuset, aliunde tamen saluari nequeunt, propter alia peccatorum impedimenta, de quibus infrà.

RATIO VNDECIMA

Ducitur ex Sacramentorum necessitate, pro Adultis.

I. EA est hominum ad peccandum propensio, & naturæ corruptæ, vt vocant, infirmitas, vt homo, nisi singulari prærogatiua in-

ſtruatur, ſine peccato eſſe non poſſit; quo fit, vt inde ſaluari potiſſimùm ſperare debeat, vnde maior ſpes delendi ac expungendi peccata affulget, eúmque vitæ modum tenere, & eam legis formam profiteri, quæ ad peccatorum veniam & remiſſionem tutiùs & faciliùs conducit. Hæc, ni fallor, adeò certa ſunt & perſpicua, vt in iis nullus dubio locus eſſe videatur; quocirca ab iis omnibus facilè concedentur, quos nimia pertinacia in præceps non agit.

II. Ante Dominicam Incarnationem ea fuit mortalium conditio, vt poſt admiſſam lethalem noxam, nulla veniæ ſpes affulgeret, niſi perfecta contritio, vt vocant, adhiberetur. Illa autem eſt perfectæ contritionis ratio, vt non modò ſummum dolorem, ſummámque deteſtationem ſuper omnia, vt vocant, deſideret, verùm etiam omnem proprij commodi & vtilitatis rationem excludat; nec enim pœnarum metu, nec peccati turpitudine, nec etiam cæleſtis gloriæ ac felicitatis ſpe ille ducitur, qui per veram contritionem patrata ſcelera deteſtatur.

III. Porro vt actus perfectæ contritionis & charitatis nobiliſſimus eſt, ita ſanè ardui negotij res eſt. Hinc præ cæteris beneficiis, quibus Seruator noſter Ieſus Chriſtus hominum genus ſibi obſtrinxit, illud haud dubiè primo loco eſſe debet, quòd remiſſionem peccatorum longè faciliorem reddiderit, inſtituto ſcilicet ob eum finem Sacramento, cuius virtus perfectæ contritionis abſentiam ſuppleret, modò ſaltem imperfecta, quam attritionem vocant, adeſſet. Si enim, vt antè, perfecta contritio neceſſaria

eſſet,

esset, non erat, quòd Dominus noster Iesus Christus Petro & Apostolis, ligandi atque soluendi, ac remittendi peccata potestatem faceret, quæ iam perfecta contritio expunxisset; aliud igitur longè facilius remedium esse voluit, quod cum prædicta potestate coniunctum, eâdem vi polleret; Sacramentum reconciliationis, vel exhomologesim sancti Patres appellant; nos vulgò Sacramentum Pœnitentiæ nuncupamus.

IV. Hoc autem salutari remedio sectarij penitus carent, neç illud vllatenus adhibent. Nec est, quòd ad suam recurrant fidem; quis enim ignorat, multos etiam inter fideles esse, qui cùm grauiter delinquant, aliud à fide remedium adhibeant oportet. Equidem inter alias dispositiones, quas iustificatio peccatoris (hanc enim vocem vulgò vsurpant) desiderat, fidem recensendam esse, non negauerim; illam tamen haud sufficere, nemo nescit; alioquin nullus fidelis peccare posset, nisi statim, amissa fide, infidelis euaderet, quod vel dictu ridiculum est. Hoc igitur remedio sectarij carent, quo Romana Ecclesia gaudet; igitur cùm sine illo peccator adultus vix saluari queat, sectarij huius defectu saluari vix possunt, cùm tamen in Ecclesia Romana, hoc subsidio freti, facilè saluari possimus.

V. Alia quoque Sacramenta habemus, quibus sectarij, saltem maiori ex parte carent; sunt autem diuinæ gratiæ ductus, vel ad reconciliationem cum Deo, vel ad confirmandum cor nostrum contra hostes salutis nostræ, vel ad fouendam ac sustentan-

dam supernaturalem animæ vitam, vel ad sacram potestatem Apostolis traditam, in successores propagandam, vel ad delendas peccatorum reliquias. His omnibus adminiculis & præsidiis sectarij carent, sine quibus præ naturæ infirmitate, homines salutem consequi vix possunt: præterquàm quòd benignissimus nostræ salutis auctor Christus Iesus, cui omnis potestas à Patre fuit tradita, hæc nobis remedia instituit, eorúmque vsum præscripsit, ad peccatorum veniam obtinendam; frustra igitur ad alia, nolente ac inuito Deo confugeremus. Itaque cùm in Ecclesia duntaxat Romana prædicta Sacramentorum remedia nobis suppetant, quid mirum, si in illa duntaxat saluari possimus.

RATIO DVODECIMA

Ducitur ex imitatione Christi.

I. D. Paulus enixè commendat, mandátque fidelibus, vt Christum Dominum induant, eúmque vitæ modum teneant, qui cum eo, quem Christus tenuit, consentiat; illud enim rarum exemplar est, in quod intueri debemus, vt vitam nostram, nouúmque hominem, vt vocant, ad eius formam componamus. Hinc idem cœpit facere, & docere, vt eius exemplis instituti, eius vestigiis insistamus, vt quemadmodum ille fecit, ita & nos faciamus; exemplum enim dedit nobis, suísque virtutibus præluxit. Hinc quisquis perfectus Christianus fieri cupit, Christum sequatur oportet,

tet, ſeſe abneget, deliciis renuntiet, crucem portet, omnia vltrò relinquat, Apoſtolorum exemplo, qui omnibus relictis ſequuti ſunt Chriſtum: hæc autem nemo Chriſtianus in dubium vertet, cùm in ſacris Codicibus perſpicua ſint.

II. Hinc Euangelica illa conſilia, ſpontaneæ ſcilicet paupertatis; quiſquis enim propter Chriſtum omnia ſua vltrò relinquit, vltrò pauper eſt: huic accedit perpetua Caſtitas, quam & Chriſtum ſeruaſſe intactam, & vt Apoſtoli ſeruarent, auctorem fuiſſe, conſtat; nouum certè conſilij genus fuit apud illam gentem, quæ generis propagationem tanti faciebat; hinc Chriſtus de hoc conſilio ſermonem faciens, ſubiunxit, qui poteſt capere capiat. Omitto alia conſilia, vt obedientiæ, ſpontaneæ macerationis, Paulus enim caſtigabat corpus ſuum, eóſque impensè laudat, qui carnem ſuam crucifixerunt, & quæ deſunt paſſionum Chriſti, vltrò ſupplebant; Pauli autem imitatores eſſe debemus, vt Chriſtum imitemur; *eſtote*, inquit, *imitatores mei*, *ſicut & ego Chriſti.*

III. His poſitis, videndum reſtat, vtrum apud ſectarios Euangelicorum conſiliorum obſeruatio vigeat; nihil haud dubiè minùs; vix nôrunt caſtitatis nomen, rem ipſam fugiunt; paupertatem & corporis afflictationem penitus abhorrent; nullum illis cum cruce commercium, cuius vel minimo ſigno muniri dedignantur. Eccleſiaſtica ieiunia è medio ſuſtulerunt, & carnis vſum, certis diebus vetitum, ſemper adhibent; cœlibatum ipſum vitio

ducunt; Christianam animi demissionem, rerúmque caducarum humanarúmque contemptum, atque adeò ipsam ignominiam & contumeliam non modò non appetunt, verùm etiam palmari odio prosequuntur. Igitur Euangelicorum consiliorum vix nomen nôrunt, rem ipsam minimè attingunt; Christum igitur, qui suo nobis præluxit exemplo, nullatenus imitantur.

IV. At in Ecclesia Romana prædictorum consiliorum obseruatio viget; immò multa sunt hominum millia, qui præfatam obseruationem profitentur, & ad illud vitæ genus, solemnibus votis sese adstringunt. Fateor multos esse, etiam inter illos, qui præfatum religiosæ ac strictioris vitæ institutum amplexi sunt, quorum mores ab ea viuendi ratione alieni sunt. Neque est, quòd sectarij nobis hoc exprobrent, & corruptos multorum Catholicorum mores, etiam illorum, qui sacris ministeriis addicti sunt, exaggerent; hæc vltrò fateor, nec operæ pretium esse puto, vanas excusationes contexere: sed quid tum? multi suo munere non defunguntur, quos haud dubiè grauior pœna manet. Sed quis neget, multos esse, qui exemplo Christi viuunt, & consiliis Euangelicis perquàm accuratè parent; in iis integram castimoniam, summam animi demissionem ac modestiam, mundi contemptũ, ardentissimum erga Deum & proximum amorem & charitatem, Martyrij desiderium, voluntarias pœnas, & acerbam carnis macerationem, contemplationis studium, aliáque huiusmodi non mirari

qui-

quidem, (res enim insolitas mirari solemus) sed passim obseruare ac inspicere quiuis poterit.

V. Nihil tamen horum est extra Romanam Ecclesiam; nec quisquam hoc negat; vnde facili ratiocinio deduco, fieri non posse, vt ij saltem, quos Christus saluos non fore præuidit, nisi consilia Euangelica sequantur, extra Ecclesiam Romanam salui fiant. Hinc, si vis perfectus esse, vende omnia, & da pauperibus, & sequere me: hinc mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus non est ad regnum Dei: hinc quisquis semetipsum non abnegat, & non tollit crucem suam, & non sequitur Christum, eiusdem discipulus esse non potest: hinc demum illud, finite mortuos sepelire mortuos suos. Itaque ibi tantummodò est salus, vel salutis via, vbi est Christi imitatio, qui nobis suo præluxit exemplo, vbi vitæ Christianæ perfectio viget; vbi Apostolica instituta florent; scilicet in Ecclesia Romana: cùm enim apud sectarios cuncta hæc desiderentur, apud eos salus non est, apud quos Christi exempla, & consilia nullo sunt loco.

VI. Porro vt Christus vnus est, eidem Ecclesiæ vnico ac indiuiduo testamento omnia sua tradidit, legem scilicet, dogmata, præcepta, consilia; illa igitur Ecclesia, penes quam sunt consilia, habet etiam præcepta; & viciſsim illa, quæ præceptis gaudet, gaudet consiliis, ne Christus diuisus sit, & lex Christi, aut religio Christiana multiplex. Cùm igitur sectarij consilia non habeant, præcepta non seruant; sunt igitur extra salutis viam; via enim

mandatorum ad vitam æternam ducit. Accedit, quòd, quisquis peccat in vno, factus est omnium reus; & quisquis aliqua in re Christum reiicit, in omnibus reiicit, nec enim Christus scinditur in partes; cùm ergo illi Christum reiiciant pro consiliis, pro nulla re sincerè admittunt. Equidem in Ecclesia Romana multi sunt, qui præceptis, non consiliis parent; at consilia non reiiciunt; & sunt in eâdem Ecclesiâ, qui eadem amplectuntur; igitur in Ecclesia Romana hæc Christianæ vitæ perfectio non desideratur, hæc sublimior ac tutior cælestis ac regiæ viæ semita, hæc Christianarum virtutum coronis, ac vltimum religionis nostræ complementum.

RATIO DECIMA TERTIA

Ducitur ex præcepto Pœnitentiæ.

I. NVlli sanè Christiano dubium est, quin Pœnitentiæ singulare præceptum sit, renouatum potiùs à Christo, quàm nouum aut recens sancitum: vt enim illa est nostræ mortalitatis conditio, quâ multis delictis & noxis obnoxii sumus; ita illa nobis incumbit necessitas, quâ admissa peccata singulari pœnitentiæ remedio eluamus. Hæc enim secunda est post naufragium tabula, cuius operâ saluari possumus, quam fanè nisi adhibuerimus, nulla salutis spes restat. Hinc illud: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*: hinc Ioannes, vox illa deserti, nihil nisi pœnitentiam perfona-

ſonabat; hinc iuſſi à Chriſto Apoſtoli prædicare pœnitentiam in remiſſionem peccatorum.

II. Quòd autem in Eccleſia Romana ſit pœnitentiæ Sacramentum, apud omnes Catholicos in Confeſſo eſt, quo ſectarij penitus carent, quod ipſi vltrò fatentur; immò nullum à Chriſto inſtitutum eſſe contendunt. Sed cùm Eccleſiam Romanam, veram eſſe conſtet, per Datum XVIII. & Prop VII. & cùm ipſa errare non poſſit, per VI. atque in ea ſeruentur veri religionis ritus, per IX. haud dubiè tam ſolemne Sacramentum omnibus fidelibus proponere non potuit, quod falſum & ſpuriū cenſeri queat. Hic certè palmaris error eſſet, ídque in re tanti momenti; quid enim de illo medico cenſeres, qui lethali morbo correptis, falſum remedium præſcriberet; hoccine eſt paſcere & curare oues Chriſti, an verò perdere, ſeu mactare? Nemo igitur huius Sacramenti vim ac diuinam inſtitutionem in dubium vertet, niſi qui errorem Eccleſiæ Romanæ affingat, quod dici non poſſe, paſſim iam ſuprà probatum eſt.

III. Nec eſt, quòd ſectarij dictitent, ſe quoque illud pœnitentiæ præceptum exequi, ac dolere ſe de peccatis, ac pœnis ſpontè ſuſceptis Deo facere ſatis. Nam illud quidem in veteri Lege locum haberet; at verò in lege gratiæ, in qua ſcilicet computruit iugum à facie olei, longè facilius remedium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit, cuius efficacitate, pœnarum ſponte ſuſceptarum ac doloris impuritas caſtigaretur. Enimuerò antiquæ legis fidelibus id dun-

taxat

taxat remedij supererat, ad peccatorum veniam obtinendam, vt contritionem perfectam, ac purum amorem (de actualibus, vt vocant, loquor) adhiberent, quæ sanè contritio, perfecta scilicet, quàm difficilè obtineatur, vix credi, nedum dici potest.

IV. Aliquid mollius noua lex gratiæ habet; alioquin peioris, quàm Iudæi, conditionis essemus; vtpote qui, præter illam contritionem perfectam, spontaneam scelerum confessionem addere teneremur: præterquàm quòd hæc contritio perfecta post longam duntaxat corpusculi afflictationem, & carnis macerationem à Deo obtinetur, saltem vt plurimùm, cùm maximum donum Dei sit; Deus enim huiusmodi afflictationibus spontè susceptis mouetur, vt videre est in Niniuitis; & ad misericordiam flectitur; mollitur nostris lacrymis cor Dei, & ira, quam peccata nostra excitauerant, extinguitur. At talem consuetudinem sectarij non habent, apud quos carnis maceratio locum hactenus non inuênit; immò hæc ab illis ludibrio habentur; pia scilicet flagella, cilicia, aliáque huiusmodi pœnitentiæ instrumenta; & si quando ieiunia adhibent, publico indicuntur consilio, vel edicto, non quidem ad peccatorum remissionem, sed ad felicem suscipiendæ expeditionis euentum obtinendum.

V. Prætereà si ad peccatum originis expiandum, singulare Baptismi Sacramentum institutum est, an fortè actuales noxæ, vt vocant, singulari etiam remedio carere debuerunt? si perfectam contritionem & pœnitentiam Apostoli prædicare à Christo

iussi

iussi sunt; quid noui subsidij, quid gratiæ, quid prærogatiuæ, Christi nomine mortalibus denuntiabant? quid tandem noui gaudij euangelizabant, dū idem imponerent onus, sub quo humana infirmitas dudum gemebat? Itaque cùm nouum remedium pro actualibus noxis Christus Ecclesiæ reliquerit, Pœnitentiæ scilicet Sacramentum, vt certa fide tenemus, in qua Ecclesia Romana errare non potest, per Prop. VI. & cùm à Christo præceptum Pœnitentiæ hominibus datum sit, illud certè sectarij exequi nequeunt, cùm prædictum Sacramentum minimè agnoscant: hinc, vel hoc nomine, saluari non possunt, cùm tam salutari careant remedio. Nec obstat, eandem vim contritionis manere; nempe fieri non potest, vt quis verè conteratur, si voluntate seruandi mandata careat, quâ reuerà sectarij carent, cùm hoc præceptum Pœnitentiæ à Christo institutum, & Ecclesiæ relictum exequi nolint.

RATIO DECIMA QVARTA

Ducitur ex præcepto Humilitatis.

I. CHristianam animi demissionem, quam vulgò humilitatem vocant, in mandatis à Christo habemus: *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum, & humilis corde*; nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Hinc illa sui abnegatio non modò commendata, verùm etiam à pio Seruatore nostro mandata: hinc

Chri-

Christus exinaniuit semetipsum, vt nobis exemplo suo præluceret; hinc honorum & diuitiarum contemptus, quo Christianam virtutem armatam & instructam esse voluit. Vno verbo, verba & exempla Christi Domini mirificam animi demissionem præferunt, quæ toto passim Euangelio ita inculcatur; quasi hæc virtus totius rei Christianæ primarium esset fundamentum; nec multa ratio deest, quâ id fieri operæ pretium erat, sed quia trita res est, neque hac in parte vlla controuersia intercedit, hîc vltra hærendum esse non existimo.

II. Itaque illa est trita & tuta salutis via, quam fides dirigit, Humilitas sternit; illa est, quæ tendit ad vitam, quâ itur ad astra, quam Christus suis vestigiis signauit; & quam, quisquis saluus esse vult, inire debet. Vtrùm verò sectarij hanc viam ineant, & hoc Christi mandatum exequantur, iis profectò compertum ac perspectum est, qui huiusmodi hominum mores & indolem nôrunt. An fortè legitimum Ecclesiæ iugum excutere, modestiæ & Christianæ demissioni quisquam tribuet? intolerabilis profectò superbia est, iudicis partes assumere, dum reus es; prophetam agere, dum erras; oracula fundere, dum somnias; sacros libros interpretari, dum ipse deliras; hæc, ni fallor, luculenta sunt Christianæ humilitatis argumenta, & illustria specimina.

III. Lutherus publica edidit prædictæ virtutis exempla: Hinc iugum excussit, Romani Pontificis imperia detrectauit, Pontificios legatos & nuntios con-

contemptui habuit, religiosam obedientiam renunciauit, legitimis potestatibus restitit, nemini vnquam cedere voluit, séque omnibus, etiam antiquis Patribus antepofuit, ac neminem præ se vnquam duxit. Caluinus eiusdem artis & indolis Homo fuit, vt vel ipsis historiarum ab iisdem sectariis scriptarum monumentis traditum est. Zwinglius, Melancthon, Carlostadius, OEcolampadius, Bucerus eiusdem farinæ, seu furfuris homines extiterunt. Quid in schola huiusmodi doctorum doceri queat, quid ab iis sequaces ac discipuli discere valeant, nihil est, quod dicam, cùm res ipsa per sese pateat.

IV. At in Ecclesia Romana, illustria humilitatis exempla passim habemus; viros doctissimos, qui sponte doceri volunt; nobilissimos, qui despicatui haberi gestiunt; sanctissimos, qui nesciri ambiunt; Principes, qui purpuram in saccum, coronam in cucullum, regias in cellas, imperia in obsequia, lautissimas epulas in ieiunia, honores in contumelias vltrò commutarunt; abiectis officiis sese vltrò addixerunt, iísque, Christi Domini exemplo, non sine suauissimo voluptatis sensu defunguntur. Hæc fortè sectarij explodunt, non sine cachinnis, eósque mentis & consilij inopes esse dictitant, qui hoc vitæ genus profitentur. Sed vel Euangelium mutandum est, vel certa fide tenendum, hæc & alia similia humilitatis exempla valde commendari, vtpote quæ cum Christi & Apostolorum moribus mirificè consentiant.

V. Equidem inficias ire non possum, quin multi

sint

sint in Ecclesia Romana, quos superbia in præceps agit; neque negauerim, inter Ecclesiasticos, aliquos esse, immoderato turgentes fastu, Luciferi potiùs quàm Christi imitatores; sed quid tum? Ecclesiæ vitio verti non potest, quæ sancta est, cùm etiam Apostolico senatui sua vitia non defuerint. Immò & in claustris non rarò accidit, vt superbia vltimum locum non inueniat; sed quid inde? vitium priuatum est, & priuatorum? quis enim credat, homines in hac mortali vita, omnis peccati expertes esse? Hoc vnum sufficit; tale apud nos vitæ institutum esse, in quo præfatæ virtutis exercitatio præscribitur, eámque multi profitentur, licèt nonnulli suo muneri desint; cùm tamen apud sectarios nullus huiusmodi exercitationum vsus, sed potiùs contemptus existat. Vnde cùm apud illos, euangelicum humilitatis mandatum nullo sit loco, quod tamen apud nos suum vsum habet, restat, vt concludam, illos à via salutis, in qua nos versamur, omnino deflectere.

RATIO DECIMA QVINTA

Ducitur ex præcepto correctionis fraternæ.

I. HOc præceptum solemne est in euangelicis codicibus, eáque verborum formulâ conceptum, quæ nullum dubio locum relinquit: *Si peccauerit in te frater tuus*, inquit, *corripe illum inter te & ipsum solum*, &c. si verò non audierit,

etiam

ĕtiam adhibitis testibus, Dic Ecclesiæ, germanæ scilicet, legitimæ, & Catholicæ, quæ vna duntaxat est, per Dat. x. Quod sanè vltimi remedij loco Christus imponit; priuata enim correctio præcedere debet, quam si reus eo, quo par est, animo acceptârit, maximum sanè litis compendium est. Sin minùs, testes aliquot adhibendi sunt, vt fidem facere possint, tum charitatis arguentis, tum contumaciæ Rei; denique si nihil horum iuuet, Dic Ecclesiæ; & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.

II. Imperium Christi manifestum est, quod licèt aliqui violent, fateor enim minùs frequentem huius præcepti vsum, tum quia humanis rationibus ducimur, tum quia correctio fraterna, in hoc rerum statu, in quo fortè multorum charitas refrixit, non rarò maioris mali causa esset; hoc tamen non facit, quin reuerà præceptum diuinum sit, ad cuius executionem, omnes omnino tenentur. Nec ab eo quisquam liber est; quod enim Deus iniunxit, homo abrogare non potest; quod sanè legem diuinam inter & humanam discrimen intercedit; nempe hanc, vt homines edunt, ita & abrogant; illam verò abrogandi facultatem non habent.

III. In Ecclesia Romana hoc præceptum exequimur; sic ad Ecclesiam eorum nomina deferre solemus, quorum fides suspecta est, aut mores saluti multorum noxij; nempe illi maximè in nos peccant, qui vt fidem nostram labefactare, ita animam nostram in salutis æternæ discrimen adducere co-

nantur. At sectarij, quibus idem onus incumbit, hoc munere defungi nequeunt, cùm veram Ecclesiam non habeant; cui enim Ecclesiæ dicent? quibus Episcopis animarum suarum? quibus pastoribus, quorum cœtus totam Ecclesiam exhibeat? nempe Apostoli, eorúmque successores totam Ecclesiam repræsentant, vt rectè monuit Augustinus, lib. 3. de Bapt. contr. Donat. & vt ait Chrysostomus, ille dicit Ecclesiæ, qui Præsulibus ac Præsidentibus dicit, vt iam suprà inculcaui.

IV. An fortè Luthero? an Zwinglio? an Caluino? aliísque huiusmodi hominibus? sed hi Ecclésia non sunt, ad quam delinquentes deferre iubemur; immò nec Ecclesiæ, nec in Ecclesia sunt, à qua turpiter defecerunt. Non habent igitur sectarij, ad quem confugiant pro correctione fraterna; modum igitur non habent, quo præceptum illud exequantur: at quisquis mandata non seruat, saluari non potest. Dicere Ecclesiæ iubentur; sed ab Ecclesia desciuerunt; Ecclesiæ, inquam, vt optimæ Parenti, sed illam pro matre respuunt; vt omnium controuersiarum Iudici, sed ab ea iudicari nolunt, & ad suum Lutherum, aut Caluinum, transfugas scilicet, & Apostatas appellant.

V. Itaque apud sectarios præcepto correctionis fraternæ cùm locus non sit, illud sanè ipsi non exequuntur, ac proinde vel hoc nomine saluari nequeunt; quisquis enim diuina præcepta violat, salutem consequi non potest. At in Ecclesia Romana, hoc vitio non laboramus; habemus enim Ecclesiam, cui dica-

dicamus, ad quam in primis ſectarios deferimus, qui certè in nos grauiſſimè peccant, vtpote qui non bonis, non famæ, non vitæ, ſed animæ inſidias moliantur, quod ſanè grauiſſimæ offenſionis loco habendum eſt; Eccleſia verò cognitâ cauſâ, illos benignè ad reſipiſcendum inuitat, atque hortatur, nec non eorum errores configit: ſed cùm Eccleſiam non audiant, nec eius ſententiæ acquieſcant, pro Ethnicis & Publicanis habendi ſunt; igitur inde concludo in Eccleſia Romana homines ſaluari duntaxat poſſe, in qua huius præcepti obſeruatio viget.

RATIO DECIMA SEXTA

Ducitur ex præcepto vitandi ſcandala.

I. OFfenſio proximi, quàm vulgò ſcandalum appellamus, ſub grauiſſimis pœnis à Chriſto prohibetur: *Væ mundo à ſcandalis*, inquit, *ſi quis ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in mare.* Puſilli autem illi ſunt Apoſtoli, quibus hoc ipſum iam Chriſtus ſignificârat: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*, &: *Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. Qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit; &, qui vos recipit, me recipit; videte ne contemnatis vnum ex puſillis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Itaque nemini dubium eſt, quin graui lege à Chriſto cautum ſit, ne quis

huiusmodi offensionem, seu scandalum cuiquam præbeat.

II. At sectarij hac lege soluti esse videntur; nec enim maior offensio excogitari potest, nec maius scandalum, quàm illud, quod bonis omnibus afferunt. Quid enim, amabò, ad animorum perniciem atque ruinam non moliuntur, quas machinas & artes non adhibent, vt eos in errorem inducant, vt à vera Christi fide ac religione auertant, vt à bonis operibus amoueant? Ieiunas fortè? ad pocula & conuiuia inuitant; abstines à carnibus, certis statísque diebus? carnes apponunt & porrigunt; omnia sacra è medio tollunt, suísque salibus ac iocis condiunt; vno verbo, illud præsertim procurare nituntur, vt Catholicos in erroris ac perditionis societatem inducant.

III. Adde alia fortè grauiora; sacras ædes demoliuntur, in quibus preces nostras Deo ac sanctis persoluimus; sacra disiiciunt altaria, in quibus incruentum sacrificium offertur; sacras imagines destruunt, quas honorare solemus; æraria diripiunt, quæ Christi pauperibus distribuimus; vasa exportant, quæ sacris vsibus destinamus; sacerdotes alíósque Christi ministros trucidant, quorum operam ad res sacras tractandas adhibemus. Vno verbo, summo conatu ac omnibus partibus ad destruendam Romanam & Catholicam Ecclesiam conspirarunt; nec quisquam est, qui vel in dubium hoc consilium reuocet; aperta res fuit; tristia etiamnū extant huius machinationis monumenta; sic furor

sub

ſub zeli ſpecie & larua ſuas partes egit.

IV. Itaque quis ſcandalum, quis offenſionem neget; ídque in re tanti momenti; vbi enim de ſalute ac felicitate æterna agitur, ſumma profectò rei eſt. En facinus non ſine pœna, æternæ ſcilicet damnationis; nempe, *væ homini illi, per quem ſcandalum venit*; quæ ſanè comminatio nihil niſi cruciatus æternos ſonat. Præceptum igitur Domini non ſeruat, quiſquis ab Eccleſia Romana deficit; præceptum, inquam, vitandi ſcandala: quiſquis autem præcepta non ſeruat, ſaluari non poteſt, vt patet, ac certa fide omnes tenemus; igitur extra Eccleſiam Romanam ſalus eſſe non poteſt.

V. Opponunt fortè ſectarij, etiam apud Romanos multa ſcandala ſubinde naſci; do vltrò, multa eſſe, quæ deploremus, immò execremur; multi enim ſunt, qui ſaluti proximi certam perniciem afferunt, & probroſis factis aut facinoribus, grauiſſimam concitant offenſionem; ſed non in re fidei. Caſtitatem alterius labefactas, ſed fides intacta manet, cuius operâ iactura caſtitatis reparari & reſarciri poteſt; at ſectarius fidem petit, columnam & firmamentum Chriſtianæ religionis ſubuertit; præterquàm quòd plerique ſunt apud Romanos & Catholicos, qui non modò proximi ruinam minimè procurant, ſed illius ſalutem mirificè promouent, nulliſque, ad hunc finem obtinendum, laboribus parcunt; pro quo etiam vitam cum ſanguine haud ægrè profundunt.

RATIO DECIMA SEPTIMA

Ex eo ducitur, quòd sectarij non minùs à Catholicis & Romanis segregati sint, quàm olim Samaritani à Iudæis.

I. IN hoc præsertim à Iudæis Samaritani discrepabant, quòd Iudæi summum sacerdotem ac templum haberent; vtroque autem Samaritani carerent; illum quidem omnium controuersiarum in materia fidei & rituum supremum Iudicem, errare nescium; hoc verò, in quo supremo rerum omnium moderatori Deo ita sacrificia fieri ac offerri poterant, vt in eo duntaxat sacrificare liceret. Porro Samaritani vtrumque negabant; nempe alios Sacerdotes & Prophetas ad id muneris instituerant, & alium destinârant faciendis sacrificiis locum; dolus Ieroboami gentem hanc in prædictum errorem induxerat, vt populi animos à Regibus Iuda magis ac magis abalienaret.

II. Quòd autem Samaritani errarent, ac hæretici essent, fidei oraculum est, à Christo Domino editum & publicatum; salus enim, inquit, à Iudæis est; nec vllus hac in re dubio est locus. Certum igitur est, errorem in fide fuisse vtrumque negare, summum scilicet sacerdotem, ac templum Dei; huius quidem sacrificiorum & oblationum prærogatiuam, illius verò supremam auctoritatem, quæ in materia fidei errori obnoxia non esset. Porro Aaron prædictum honorem sacerdotij à Deo acceperat, innumeris

ferè

ferè miraculis confirmatum : ab eo verò successionis iure, ad posteros ac successores prædicta auctoritas traducta fuerat, vt patet, & ab aduersariis vltrò datur.

III. Tam Christus Petro supremum sacerdotiū, primúque Pastoris munus contulit, quàm Deus, vel Angelus Dei nomine ipsi Aaron; immò luculentiora loca & testimonia pro Petro, quàm pro Aaron nobis suppetunt, quæ iam suprà indicauimus, & adhuc infrà exponam. Petro enim claues cælorum traditæ, ligandi atque soluendi potestas collata, fides illius verbo Domini confirmata, fundamentum Ecclesiæ in eo collocatum, pascere oues & agnos trina indictione iussus est, ab aliis Apostolis consultus, primo concilio præfuit, primúmque illud oraculum pronuntiauit, *visum est Spiritui sancto & nobis*. Ab ipso verò Petro tam in eius successores Pontificium traductum est, quàm ab Aaron in summos Iudæorum Sacerdotes; & par vtrinque ratio est, immò potior pro Petro, qui illius Ecclesiæ caput fuit, aduersùs quam portæ inferi nunquam præualerent; quod certè de Synagoga, cuius Aaron caput fuit, dici non potest, aduersùs quam, lege gratiæ inducta, portæ inferi præualuerunt, cùm ante sæculi consummationem destructa sit.

IV. Quòd autem sectarij tam reiiciant Romanum Pontificem, quàm olim Samaritani Hierosolymitanum sacerdotem respuebant, certo certius est; nec vllus videtur esse disputandi locus; nec magis illi Ecclesiam Romanam agnoscunt, quàm isti

Hierosolymitanam admitterent; vtrobiq; schisma & diuortium fuit, nec non defectio à legitimo Ecclesiæ capite. Hinc verum Dei templum, acceptum sacrificium, summus sacerdos, legitimus cultus, germana Religio; illinc verò Bethel, vituli aurei & Baal, cultus illicitus, nulla religio, sacrilegum sacrificium, schisma demum & hæresis.

V. Vt igitur salus à Iudæis tunc erat, ita à Romanis nunc est; & vt Samaritani olim extra viam salutis erant, ita modò sectarij extra viam salutis sunt; par vtrinque, immò eadem ratio, nisi quòd longè plura esse videntur, in quibus sectarij errant, quàm olim essent, in quibus Samaritani errabant. Hinc illi potiori iure à via salutis, quàm isti excludendi sunt: præterquàm quòd in tanta doctorum & sanctorum Patrum turba, in tot Conciliorum definitionibus, rebus fidei plus lucis modò affulget, quàm olim affulgeret; nec enim dubium est, quin Euangelium multam lucem diuinis oraculis attulerit. Ex his igitur rectè concludo, in Ecclesia Romana duntaxat homines saluari posse, quæ scilicet Synagogæ successit.

RATIO DECIMA OCTAVA

Ex eo ducitur, quòd ij omnes, qui ab Ecclesia Romana hactenus desciuerunt, pro hæreticis habiti fuerint.

I. HÆc ratio summi ponderis esse videtur, cùm enim certum sit, hominem hæreticum

cum saluari non posse, & cùm nemo vnquam ab Ecclesia Romana desciuerit, qui pro hæretico habitus non fuerit, inde facilè deducitur, nullum ex iis, qui ab Ecclesia Romana defecerunt, saluari posse. Quòd autem ij pro hæreticis habiti fuerint, probatissimis historiarum monumentis traditum est: de Manichæis, Arianis, Monothelitis, Pelagianis, Nestorianis, ne ipsi quidem aduersarij à nobis dissentiunt; de Græcis fortè negabunt. Sed quoties de illorum ad Ecclesiam Romanam reditu actum est? quoties illorum errores detecti, atque damnati? consulantur auctores, vnus Bessarion ad instar omnium erit; cùm enim ipse Græcus esset, suspectus esse non potest. Non diffiteor, illis in quibusdam Authoribus tribui, quæ non omnes docent: vt videre est apud Leonem Allatium.

II. De Albigensibus, Valdensibus, Hussitis, idem iudicium esto, quorum etiam errores huius temporis sectarij agnouerunt, ac refutarunt, licèt eos in communem contra Catholicos conspirationem ac societatem admiserint. Lutherani, Caluinistæ, Anabaptistæ, aliíque eiusdem furfuris homines pro hæreticis iure habentur. Hoc negas? hoc probo: Ab eo iudice damnati sunt hæreseos, ad quem hoc iudicium pertinebat; nempe in controuersiis fidei iudicandis suprema potestas in Ecclesia relicta est, per Dat. XVII. & de auctoritate iudicis constare debet, quòd legitima sit, per Dat. XVI. nec non Ecclesia Romana vera est Ecclesia, per Dat. XVIII. quæ sola fidem retinuit, per Prop. VIII. Vnde concludo, extra

illam, veram fidem non esse; errorem igitur & hæresin; igitur quisquis ab ea deficit, pro hæretico iure habetur.

III. Itaque cùm sectarij ab Ecclesia Romana hæreseos damnati sint, pro hæreticis iure habentur; cùm enim in suis iudiciis ad fidem pertinentibus errare non possit, per Prop. VI. quia vera & legitima duntaxat est Ecclesia, per Prop. VII. hoc iudicium verum est, ac iusta sententia. An fortè negas? audio legitimum iudicem, Petrum scilicet, cui pascendi gregem Dominicum cura credita est, potestas iudicandi, ligandi, soluendi tradita, claues regni cælorum datæ, cuius fides diuina promissione confirmata est, vel, vt sic loquar, canonizata, *Oraui pro te Petre, ne deficiat fides tua*; illius ergo standum dictis, vel oraculis: Petrus asserit, Lutherus negat; vtri quæso habenda fides? an vllus restat deliberationi locus?

IV. Quòd autem pro hæreticis ab Ecclesia Catholica habeantur, illi haud dubiè in controuersiam non vocant; extant Romanorum Pontificum constitutiones, & diplomata, nec non OEcumenicorũ conciliorum canones & anathemata; accedit prætereà communis omnium conciliorum consensus: vno verbo, cùm Ecclesiam non audierint hactenus, nec etiamnum audiant, sunt nobis sicut Ethnici & Publicani. Nec est, quòd ipsi reponant, penes se veram Ecclesiam esse; vera enim Ecclesia Romana est, per Dat. XVIII. ac præter illam nulla, & nullibi alia, per Prop. VII. Cùm igitur Ecclesiæ Romanæ le-

gibus

gibus ac præceptis non pareant, haud dubiè Ecclesiam non audiunt, igitur pro hæreticis habendi.

V. Atqui nemo hæreticus, quamdiu non resipiscit, saluari potest, fides enim sperandarum rerum substantia, basis, & fundamentum est; speramus autem in primis salutem, æternámque felicitatem; sublato igitur spei fundamento, spes ipsa stare non potest. Sed hæreticus fidem non habet, veram scilicet, quæ ad prædictum finem conducit, sed spuriam; vbi enim hæresis est, fides non est; igitur sectarij, qui hæresin profitentur, salutem sperare non possunt; igitur neque saluari, quamdiu scilicet errori pertinaciùs adhærescunt: igitur in Romana duntaxat Ecclesia, quæ nec hæresi, nec errori obnoxia est, saluari possumus.

RATIO DECIMA NONA

Ex eo ducitur, quòd claues regni cælorum Petro duntaxat datæ fuerint.

I. HÆc ratio palmaris esse videtur; quisquis enim cum Petro non sentit, in cælum ingredi non potest; aditum scilicet prohibente Petro, cui claues & fores à Deo commissæ sunt. Est autem clauis auctoritatis Symbolum, quasi tessera: hinc dum Rex suæ ditionis ciuitates lustrat, vrbium claues, in promissionem fidei ac clientelæ magistratus illi offerunt. Ita prorsus cùm Christus Vicarium instituere vellet, qui eius loco Ecclesiæ præ-

præesset, Petrum elegit, eique suas vices demandauit, clauium scilicet vsum, vt vocant, tum ad remissionem peccatorum, tum ad pœnarum impositionem; hoc enim est soluere & ligare: tum demum ad reserandas facultates, & controuersias, in materia fidei subortas; hæc illa est clauis Dauid, clauis scientiæ, quam Hieronymus aliíque sanctissimi sacrorum codicum interpretes consuluerunt.

II. Et verò nemo salutem obtinere potest, nisi priùs peccatorum remissionem consequatur, quam haud dubiè obtinere nequit, nisi virtute clauium; ab eo scilicet, qui potestatem remittendi peccata à Deo accepit. Nempe nobis constat de modo remissionis, quam scilicet Petrus, eiúsque successores impertiri rectè dispositis iubentur; cur ergo alium gratis fingimus, quem in sacris literis non habemus? cur præscriptum nobis à Christo non adhibemus? cùm enim peccatorum remissionem suo sanguine nobis comparârit, haud dubiè illius muneris fuit ac bonitatis, huius sanguinis pretium tali vel tali modo applicare, vt scilicet eo frui liceret.

III. Quisquis igitur Petri claues non agnoscit, illarum virtute peccatorum remissionem obtinere non potest; igitur nec salutem consequi. Porro sectarij claues Petri non agnoscunt, nec Romani Pontificis auctoritatem admittunt; igitur peccata sua clauibus minimè submittunt; igitur clauium virtute non remittuntur; igitur vel inde saluari non possunt. Nempe licèt potestatis clauium vsus Petro concessus, ab eius quidem voluntate & nutu depen-

deat

deat (est enim soluendi ligandíque libera facultas, item remittendi ac retinendi) ea tamen ratio instituta est, vt rectè dispositis peccata dimittat, aliis verò retineat. Illi autem rectè dispositi censeri debent, qui sese clauibus submittunt, & prædictam auctoritatem agnoscunt, atque verentur.

IV. Cùm peccator reus sit, aliquem iudicem agnoscat, oportet, eiúsque iudicio stet; licèt enim Christus supremus Iudex sit, iudicia tamen per se ipse non exercet, scilicet in hac mortali vita; illius igitur est, qui vicarij partes sustinet: nempe vt vicem gerit in pascendo ac regendo, ita & in iudicando; Reus autem iudici sese submittit. Immò Christus Apostolis pollicitus est, fore, vt ipsi aliquando sederent, duodecim tribus Israël iudicaturi: si hæc potestas in publico iudicio iis concessa est, quidni & in priuato? si ad destructionem & damnationem iudicatorum, quidni ad ædificationem & salutem pœnitentium? ille autem pœnitens est, quem & delicti pœnitet, & iudicem placare conatur. Quomodo verò placabunt, quem non agnoscunt? quomodo peccatorum veniam ab eo sperare possunt, cuius auctoritatem respuunt?

V. Ecclesia super hanc Petram ædificata est; quisquis ergo hac petra non nititur, in Ecclesia non est; sed extra Ecclesiam non est salus. Præterea quisquis non pascitur, deficiet in via; ad terminum igitur non perueniet: sed pascendi munus Petro, eiúsque successoribus incumbit; sectarij à Romano Pontifice pasci nolunt; quid mirum, si deficiant in

via,

via, nec salutis metam attingant? Deinde ouis rectore ac pastore indiget, non modò vt pascatur, verùm etiam vt regatur, doceatur; hinc oues Christi eius vocem audiunt; Christum autem audit, qui pastores ab eo relictos audit; at nisi regantur, à via salutis deflectunt; igitur nisi Pastorem, summi Pastoris Vicarium, scilicet Petrum, sequantur, saluari non possunt; quod cùm in sectariis desideretur; quid mirum, si saluari ipsi non possunt.

RATIO VIGESIMA ET VLTIMA.

Ducitur ex eo, quòd fides auditum, hic prædicantem, & hic legitimam missionem supponat.

I. Fides ex auditu, vt nemo negat; auditus autem prædicantem supponit; nam quomodo audient, sine prædicante? & quomodo prædicabunt, nisi mittantur? ab eo scilicet, qui legitima auctoritate pollet. Romanorum fides germana est; quia ab iis prædicatur, & proponitur, quibus id munus incumbit; orauit enim Dominus, ne fides Petri vnquam deficeret, vt deinde fratres suos in fide confirmaret. Et verò nemo saluus esse potest, nisi nomen Domini, eo scilicet modo, quo par est, inuocauerit; quis autem illum inuocet, in quem per veram fidem non credit? quis ei credat, quem non audiuit? fides igitur ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

II. Sed qui vos audit, me audit; Deus igitur audi-

audiri non poteſt, niſi per eos, quos ipſe miſit; *Ecce ego mitto vos*; à quibus viam ſalutis diſcimus. Hinc ſcimus, à quo didicimus, ſcilicet à Petro, eiúſque ſucceſſoribus, à quibus verbum Dei, verámque illius explicationem accepimus. Oſtendant, quæſo, ſectarij, à quo acceperint; à Luthero fortè, aut Caluino; ſed à quo iſti nouatores miſſi ſunt; à Deo? proferant tabulas, quo ſigno, quo miraculo id euincunt; in ſacris literis hoc non inuenio, quæ nec Lutheri, nec Caluini vnquam meminerunt. Sed Lutherus, inquiunt, purum Dei verbum prædicat; quâ porro auctoritate, quo miſſionis iure hoc ſibi arrogat? At non modò prædicat, ſed explicat; qua fronte? quis hanc illi facultatem conceſſit? quis neſcit, illum errori obnoxium eſſe? ergo eius dictis fides certa niti non poteſt.

III. Nos autem ſcimus, à quo didicerimus; à Petro ſcilicet & Apoſtolis, legitimíſque eorum ſucceſſoribus, qui ex Deo ſunt; & qui nouit Deum, audit eos. In hoc autem cognoſcitur ſpiritus veritatis, & ſpiritus erroris; in hoc, inquam, vnde perſpicuum diſcrimen petendum eſt, quod germanam inter & adulterinam fidem intercedit. Hinc ſanè concludo, cùm vna duntaxat fides ſit, cuius operâ ad Deum accedimus, illúmque inuocamus, ad æternam felicitatem obtinendam; cùm hæc legitimam prædicantis ac proponentis auctoritatem deſideret, vt conſtat ex dictis; & cùm hæc auctoritas, in hoc rerum ſtatu, vno duntaxat ſucceſſionis iure obtineri queat (quiſquis enim eam ſeſe à Deo per reuelatio-

nem

nem priuatam accepisse contenderet, si nullo eam signo probaret, pro seductore & Pseudoapostolo habendus esset) haud dubiè ius successionis à nostris partibus stat, cùm successores Petri & Apostolorum habeamus. Vnde concludo, in Ecclesia duntaxat Romana veram missionem, ac fidem esse; Deúmque, vt par est, inuocari; ac proinde homines in hac fide, & Ecclesia saluari duntaxat posse.

IV. Ad hoc rationis caput innumera ferè alia reduci queunt; nonnulla perstringo. 1. Quisquis in naui Petri non est, certo naufragio in mari huius mortalis vitæ addictus est: at quisquis Ecclesiam Romanam non agnoscit, in naui Petri non est; cùm illa nauis Petri sit, cuius scilicet Petrus caput & nauclerus est; igitur quisquis in Ecclesia Romana non est, ad salutis portum peruenire nequit. 2. Quisquis in Sanctorum communione non censetur, communem Sanctorum beatitatem consequi non potest; nempe ex communione gratiæ & meriti sequitur communio gloriæ & præmij: at sectarij, qui ab Ecclesia defecerunt, ad Sanctorum communionem non pertinent, nullámque in ea partem habent; cùm hæc Ecclesiæ sit ac fidelium; ibi enim sunt sancti, vbi vera est fides & religio; igitur sectarij ad Sanctorum patriam peruenire nequeunt. 3. Extra ouile Dominicum nulla est salus; nec enim hœdi saluantur, sed oues: sed ouile Christi Petri curæ subest; igitur quisquis Petrum summum supremi Pastoris Vicarium, eiúsque Successores non agnoscit, intra ouile Christi non est; igitur saluari nequit.

quit. 4. Quisquis lapis Templi Dei non est, in beata illa Hierusalem locum non habet: sed quisquis auctoritate ac fide Petri non nititur, lapis Templi Dei esse non potest; templum enim Dei est Ecclesia, super hanc Petram ædificata. Omitto alia his similia, quæ cuiuis facilè venient in mentem.

V. Itaque, vt finem tandem huic libro, & huic propositioni imponam; iam, ni fallor, perspicuum esse videtur, extra Romanam Ecclesiam neminem saluari posse, idque multiplici ratione à me demonstratum fuisse, breuiter quidem, vt res, ac præsens institutum postulat, accuratè tamen, eáque claritate, cuius breuitas patiens fuit. Scio; contumacem ac pertinacem quempiam reluctari posse; sed quid tum? etiam obstinatus; si oculos semper claudat, nolítque aperire, ortum solem non intuetur, nec illius lumine recreatur; dicere tamen ausim, neminem esse, qui si exposita rationum momenta paulò attentiùs ponderet, clarissimè non videat, rem propositam demonstrari. Si qui ex sectariis annuerint, plurimùm gratulabor; sin minùs, ægrè quidem feram, sincerum tamen animum ac voluntatem meam Deus videbit, atque probabit, quod summæ mercedis loco mihi est. Sed iam ad præcludenda aduersariorum effugia me accingo.



LIBER III.

PROOEMIVM.

HIC tertius liber duobus iam præmissis locum & occasionem dedit; vt enim aduersariorum effugia præcludantur, ac nobis opposita refellantur argumenta, operæ pretium fuit, ea iacere responsionum fundamenta, & principia, ex quibus illæ, necessaria consecutione deducerentur, ac proinde opposita penitus corruerent. Nec aptior methodus adhiberi potuit, saltē meo iudicio, ad vitandas scilicet inutiles repetitiones, quæ non rarò ita farciunt voluminum molem, vt centies aliquando, nec sine nausea, eadem repetita legere cogamur. Itaque ne iam actum agam, ea pro certis in hoc libro supponam quæ à me in prioribus demonstrata fuerunt, quod certè nouum cuiquam accidere non debet; iure meo vtor. Ex datis nonnulla demonstro, ex his porro demonstratis, ni fallor, euinco, opposita nullius momenti esse, & vix eo plausu digna, quem nacta esse dicuntur. Ad populum phaleras; illa pietas simulata impia est & ficta; misericordia immise-

misericors atque crudelis. Diuinæ bonitati minùs consultum à Romanis esse dictitant; faxit Deus, vt iustitiæ ipsi bene consulant. Ausim dicere,diuinam bonitatem & sapientiam in ea religionis institutione, quam Romani seruant, ita splendere, vt inde maximè fides nostra confirmetur. Fingamus hominem sapientissimum, aliquod religionis ac diuini cultûs huic rerum statui conueniens institutum,iam ab orbe condito, animo versasse, nunquam tam appositum, & commodum, tam præclarum & necessarium excogitare potuisset. Infinitâ sapientiâ opus fuit cum infinita bonitate coniunctâ, vt omnia tam aptè, tam appositè, tam perfectè componerentur. Nempe in nostra religione, omnia plana sunt & recta, & ad finem, quem Christus Dominus sibi proposuit, obtinendum, ita accommodata, vt nihil planius & rectius, nihil accommodatius esse posse videatur. Nulli sunt hiatus, nihil mancum, nihil superfluum omnibus incommodis itum obuiàm: nullus morbus sine remedio, nulli scopuli, nullæ salebræ, nodi indissolubiles nulli. Sed ad rem propositam venio, ac primo loco, ne quid dissimulem, effugium clarè ac nitidè expono, nihil affingo, nihil detraho, sed rem sincerè propono; tum subnecto responsionem, hic enim modus, quamuis simplicior esse videatur, rem tamen tum breuiùs, tum clariùs expedit, & iudicio Lectoris exponit.

EFFVGIVM I.

Petitur à Symbolo Apostolico communi.

CRedunt omnes, inquiunt, quæ ad salutem explicitè necessaria sunt; non esse autem alia explicitè necessaria, quàm ea, quæ Symbolo Apostolico continentur, vel ipsa Theologorum auctoritate, & perpetuo Ecclesiæ vsu comprobatur. Catholicos, vt vim argumenti elidant, non negare quidem, Symbolum credendorum summam esse, sed negare Symbolum à Protestantibus credi, ac plerosque dicere, quæ sint à vero aliena. Duo posse obiici, quòd Caluinistæ negent descensum ad inferos, deinde quòd protestantes omnes non credant articulum de Ecclesia. Quod primum attinet, quum Gentes aliquot Christianæ non habuerint in symbolo suo descensum ad inferos, inde constare, non esse de illius integritate, adeóque in Nicæno esse omissum: quod alterum, credi articulum de Ecclesia, prout super ea verba conceptus primò fertur, & explicatur ab antiquis Patribus; interpretationem Romano-Catholicam esse nouam; illi tantùm Ecclesiæ particularem, credi ab omnibus Ecclesiam, vt declarata fuerit in Synodis OEcumenicis.

PRÆ-

PRÆCLVDITVR.

I. NVllum Symbolum illis ac nobis commune est; quod enim ipsi tenent, nos reiicimus; quod verò tenemus, ipsi reiiciunt. Nos credimus Christum descendisse ad inferos, ad inferiores scilicet partes terræ; hic enim articulus, *descendit ad inferos*, ita explicatur, & intelligitur à sanctis Patribus, tum Latinis, tum Græcis, quorum citationes tu vide sis apud Bellarminum lib. 4. de Christo c. 14. Caluinus hac interpretatione reiecta, nouam commentus est, lib. 2. Inst. cap. 16. §. 10. & 11. Descendit ad inferos, inquit, id est, pertulit in Cruce diros cruciatus damnati ac perditi hominis, vt coactus fuerit, vrgente angustia, exclamare, Deus meus, vt quid dereliquisti me! Hanc expositionem confirmat Catechismus Heidelbergensis, qui apud plerosque Caluinistas parem ferè cum Scriptura auctoritatem habet, scilicet quæst. 44.

II. Prætereà nos credimus Ecclesiam Romanam, nec aliam pro Apostolica & Catholica habemus; illi hanc non credunt, sed aliam. Eadem igitur non credimus, ex iis scilicet, quæ sunt explicitè credenda; igitur idem fidei Symbolum non habemus, vtpote quod verbis & sensu constat: verba fortè communia sunt, at sensus varius est; Symbolum igitur varium. Idem in nonnullis aliis articulis facilè ostendi potest, v. g. in peccatorum remissione, & Sanctorum communione; illi enim diuersum à nostro sensum his verbis tribuunt, quem sua fide com-

plectuntur, nos vt hæreticum damnamus, ac oppositum certa tenemus fide. Vnum igitur ac idem nobis illísque Symbolum non est; quia diuersa fides: igitur diuersa Ecclesia, per Prop. II.

III. Prætereà quòd aliquot Ecclesiæ prædictum articulum de descensu ad inferos non habuerint, quid tum? appellandæ fuissent illæ Ecclesiæ, vt de illarum fide iudicare possemus. In Nicæno omissus fuit; ita est, nec habetur in Constantinopolitano, quod licèt maiori ex parte cum Nicæno idem sit, vnde à quibusdam pro eodem accipitur; nonnulla tamen de Spiritu sancto, & Ecclesiâ Constantinopolitanum subiunxit, quæ Nicænum omiserat. Deinde ab Ecclesia contra errorem Græcorum hæc formula *filióque* annexa est; quæ in Symbolo quoque Athanasij legitur, quod Ecclesiæ auctoritate receptum est, vt quasi regula fidei habeatur, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 1. a 10. ad 3. Quid porrò Symbolo addendum, quid detrahendum sit, pro diuersa temporum ratione, Ecclesiæ incumbit decernere, in qua scilicet omnium controuersiarum ad fidem pertinentium iudicem àgnoscimus, per Dat. XVII.

IV Quòd autem dicunt, credi à se articulum de Ecclesia, prout super ea verba conceptus primò fertur, dare non possum; nempe is primò sensus illorum verborum est, vt vera Ecclesia sit. Sed ipsi veram Ecclesiam non credunt; Romana enim vera est Ecclesia, per Dat. XVIII. eáque sola, per Prop. VII. Romanam autem talem esse, non credunt, vt patet; Ecclesiam igitur non credunt. Nec antiqui Patres

aliam

aliam vnquã Ecclesiam agnoscere potuerunt, quàm veram, de qua scilicet hunc articulum intelligerent. Vel vnum adducere debuissent, qui Ecclesiæ Romanæ partes secutus non fuerit; vel vnum Synodi cuiuspiam OEcumenicæ canonem, qui hanc veritatem in dubium reuocarit. Omnes vnam Ecclesiã Catholicam & Apostolicam prædicant, veram & legitimam Christi sponsam, corpus, domum, templum, columnam, ouile, omnium fidelium matrem; illa autem Romana est, vt constat ex Prop. VII. Nec ideo Catholica vel vniuersalis est, quòd omnes Christianos complectatur, sed omnes fideles, nulla habita ratione, vel facta distinctione Iudæi vel Græci: ille autem fidelis est, qui veram Christi fidem profitetur. Quòd autem fides nostra ab illorum fide omnino differat, patet per Prop. IV. porrò Ecclesia Romana fidem & dogmata non mutat, per Prop. V. sed veram & diuinam fidem sola retinuit, per Prop. VIII.

V. Quod spectat ad auctoritatem Symboli Apostolici, frustra illam hoc loco demonstrarem, quod iam omnes ferè controuersiarum auctores egregiè præstiterunt. Porro duodecim huiusmodi articulorum omnes ferè Patres meminerunt, vt Augustinus serm. 115. de tempore; & quia nonnulli dubitant, an is sermo D. Augustini sit, alia loca non desunt, v. g. in Enchiridio cap. 34. & 64. & lib. de fide ac symbolo cap. 4. Augustino accedant alij Patres, vt Clem. lib. 7. const. Apostolic. Irenæus lib. 1. contra hæres. cap. 2. & lib. 3. c. 4. Epiphan. Hæresi 68. Leo serm. 11. de pass. & epist. 8. 13. & 25. Chrysost. ho-

mil. 12. de Symb. Ambros. lib. 1. de Spirit. sancto, & Epist. 81. & serm. 38. Maxim. homil. de tradit. Symbol. Venant. Fortunat. in exposit. Symb. Alcuin. de off. Eccles. cap. 22. Raban. de instit. Cleric. lib. 2. c. 56. omitto alios breuitatis causâ. Denique quòd huiusmodi Symbolum, nō scripto quidem, sed quasi per manus ab ipsis Apostolis profectum ad nos, nunquam interrupta traditione, peruenerit, omnino extra controuersiam est. Et hæc ad præcludendum hoc effugium sint satis, cùm inde potiùs oppositum euincam; nam commune nobis & illis Symbolum non est; igitur nec fides communis; igitur nec communis Ecclesia.

EFFVGIVM II.

Ducitur ex eo, quòd Ecclesia nouos articulos fidei condere non possit.

EA, quæ sunt homini saluando, ad salutem necessaria, sunt institutionis diuinæ, inquiunt, quæ non cognoscitur ab Ecclesia illa proponente, nisi ex reuelatione à Deo facta Prophetis & Apostolis. Ecclesiam enim vniuersam, & multò minùs Pontificem, non posse condere articulos fidei, omnium consensu constat; rationi igitur omnino consentaneum est, quòd omni tempore eadem sint, ad quæ credenda, homo obligatur, seu creditu ad salutem necessaria. Reuelatio autem alia non extat, præter eam, quam scripturis diuinis comprehensam habemus. Quòd si dicas, aliam

etiam

etiam eodem tempore Ecclesiæ factam esse, quæ traditione tantùm conseruetur, quum illa quoque reuelatio per Apostolos & Euangelistas Ecclesiæ innotuerit, fieri non potest, quin illam reuelationem videamus in scriptis vetustissimorum Patrum expressam, atque eam obseruemus in vsu & praxi Ecclesiæ, Apostolorum tempora secutæ; ita vt Scriptura diuina scriptæ reuelationis, vsus autem & praxis Ecclesiæ primitiuæ, traditæ norma & regula appellari debeant; eadem enim traditionis diuinæ, quæ humanæ erit ratio. Hanc rectè in dubium vocamus, si omni coætaneorum & subsequentium auctorum testimonio destituatur; qua ratione pleraque, quæ fabulosa irrepserunt, eliminamus. Quòd si igitur, sub traditionis diuinæ schemate, aliquid venditatur, cuius in scriptis veterum Patrum, atque in vsu, & praxi Ecclesiæ, nulla facta fuerit mentio, illud pari ratione meritò suspectum esse potest.

Nunc ergo secundùm vtramque hanc credendi regulam, quarum priorem omnes, alteram nonnulli tantùm protestantium admittunt, exigenda fuerint, quæ in Romana Ecclesia proponuntur, vt vnum eorum neganti, denegetur Ecclesiastica communio. Quod si fiat, aiunt, facilè probari posse, quantopere deficiant Ecclesiæ Romanæ probati testes: rem in primis esse manifestam, quòd communionem sub vtraque, cultum imaginum, indulgentias, eiúsque thesaurum, cœlibatum Clericorum, & delectum ciborum sub necessitate omnibus impositum spectet. Errare igitur Ecclesiam Romanam, quòd libertatem

credendi, circa ea adimat; quia tamen, quæ sub illa ratione, non euertunt ea, quæ omnium consensu creditu necessaria sunt, ideo quoq; neque illi fraudi fore, quòd ea insuper credat; neque protestantibus, quòd eiusmodi secundùm S. Scripturæ & Ecclesiasticæ traditionis regulam, non admittant.

PRÆCLVDITVR.

I. PRæter vtramque regulam à vobis propositam, tertiam, eámque potissimã, cùm sine illâ gemina illa ad amussim reduci nequeat, admittendam esse contendo. Nec enim sacra Scriptura, & multò minùs traditio Ecclesiastica, in controuersiis ad fidem pertinentibus, iudex vel vltima regula esse potest, per Dat. XIII. cùm de vtraque dubium, seu controuersia suboriri possit: immò vna est propria & vltima duntaxat fidei regula, per Dat. XII. eáque in Ecclesia, per Dat. XVII. His autem semel admissis, opposita penitus corruunt: debet enim esse, qui de vestra scriptura iudicet, qui libri canonici, qui dubij, quis locorum difficilium sensus, qui errores irrepserint; quid à vobis additum, quid detractum, quæ traditio legitima sit, quæ spuria; quis antiquæ Ecclesiæ vsus, quæ praxis, quibus verborum inuolucris antiqui Patres sacra nostra descripserint. De his, inquam, quæ in controuersiam cadere possunt, & re ipsa cadunt, immò de his acriter vobiscum disputamus; dicimus enim, antiquum Ecclesiæ vsum à nobis retineri, in his saltem,

tem, quæ ad fidei ac morum substantiam spectant, vos ipsi negatis; en litem; quis iudex, nisi Ecclesia, per Dat. XVII. eáque Romana, quæ vera est, per Dat. XVIII. eáque sola, per Prop VII, quæque in suis iudiciis ac decisionibus errare non potest, per Prop. VI.

II. Præterea, Ecclesiæ Romanæ dogmata ad fidem & mores pertinentia, multiplici antiquorum Patrum auctoritate, quasi gratuita & vltrò tributa opera, auctores nostri confirmarunt, quos tu vide sis, puta Bellarminum, Horantium, Cocleum, Malderum, Perronium, Valentiam, Suarem, Becanum, Richelium, Gonterium, Gualterium, aliósque ferè innumeros, qui hoc munere, pro dignitate defuncti sunt. Neque huius instituti ratio postulat, vt iam actum agam, præsertim cùm hoc loco dogmata non discutiamus, sed nonnulla refellamus Aduersariorũ capita, in quibus comprobare nituntur, communem quamdam omnium Ecclesiam esse, ex Romanis scilicet, Protestantibus, Caluinistis & Græcis schismaticis compositam Igitur quod indicatis de communione sub vtraque, imaginum cultu, indulgentiis, thesauro, cœlibatu, & ciborum delectu, quid de his tenendum sit, apud prædictos auctores facilè inuenietis: sed esto, nihil apud illos sit, quod istorum dogmatum veritatem euincat; vel huic vni argumento cedendum est.

III. Ecclesiæ legibus parendum esse, certa fide tenendum; an fortè negatis? *qui vos audit, me audit: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publica-*

blicanus : Obedite præpositis vestris, legitimis scilicet animarũ nostrarum pastoribus. Vera autem Ecclesia Romana est, per Dat. XVIII. & Prop. VII. quid huic igitur parere recusatis, dũ vel Laicis sacram synaxim sub vna specie, vel Clericis cœlibatum, vel ciborum delectum statis certísque diebus imperat? Indulgentiæ & imaginum cultus ad dogmata pertinent, itémque realis præsentia Christi, quam vos Caluinistæ negatis. Quem in huiusmodi controuersiis iudicem consulere possumus? Scripturam? traditionem? Patres? at vt nos pro causa nostra hæc adhibemus, ita & vos pro vestra adhibetis. Nulla igitur inde decisio, nulla causæ terminatio. At nutantes fortè in fide erimus? qui tamen regulam certam habemus, per Dat. XII. & supremam absolutámque in Ecclesia iudiciorum potestatem, per Dat. XVII. Porro Ecclesia, scilicet Romana, quæ vera est, per Dat. XVIII. eáque duntaxat, per Prop. VII. hæc mihi dogmata proponit, hæc mihi præcepta imponit; cur credere, cur parere recusarem?

IV. Testes vltra desideratis eósque probatos? abundè suppetunt, eorúmque testimonia apud præfatos auctores habetis. At demus, testes etiam deficere; Testem res dubia, non certa postulat; Ecclesia Romana Spiritûs sancti ductu regitur, nec portæ inferi aduersùs eam præualere queunt; nec fides Petri deficiet vnquam, vt in ea fratres suos, si quando opus sit, confirmét; vno verbo, Ecclesia Romana, dum ea omnibus fidelibus proponit, quæ ad fidem & mores pertinent, errare non potest, per Prop. VI.

testi-

testibus igitur non indiget; quamquam illi vltrò producuntur. Quòd nouos fidei articulos condere nequeat, id est, nouos reuelare, concedimus; quòd nouos, iam olim reuelatos, & implicitè solummodò, vt vocant, creditos, credendos explicitè proponere possit, quis sanæ fidei neget? Nemo ignorat, innumera propemodùm esse Scripturæ loca, non adeò cuiquam obuia, & sensus omnino perspicuus sit; corpus Ecclesiæ in dies adolescit, ac perficitur, non modò fidei propagatione, & nouæ prolis accessione, verùm etiam nouorum luminum appulsu, quorum opera, non quidem noua reuelantur, sed iam reuelata, nondum tamen probè comperta, explicantur; cuius rei mille suppetunt exempla. Hinc tot hæreses atque errores, quibus tum hominum proteruia causam dedit, tum scripturarum obscuritas occasionem præbuit.

V. Prætereà vt nonnulli vestrûm vtramque fidei regulam, ita aliqui alteram tantùm admittunt; fatentes reos habemus; isti ergo, aut illi errant. Nam vel illa regula vera & legitima est, ac proinde errori minimè obnoxia, vel fallax & spuria: si primum, quisquis eam reiicit, errat; si alterum, quisquis eandem admittit, etiam errat; quisquis autem in regula fidei errat, in ipsa fide non errare non potest, vt patet. Deinde Ecclesiam Romanam errare dicitis; si errat, quomodo vera est Ecclesia? quomodo in ea saluari possumus? quod vltrò datis; an fortè quia in substantialibus non errat? sed in eo duntatat, quòd libertatem nonnulla credendi adimat, quæ

tamen ea non euertunt, quæ omnium consensu creditu necessaria sunt. Sed quid magis ad substantiam fidei pertinet, quàm auctoritas errare nesciа, in caussis morum & fidei, quam sibi Ecclesia Romana iure vendicat? quam tamē vos minimè admittitis; quam realis Christi præsentia; quam Sacramenta Pœnitentiæ, Ordinis, Matrimonij, &c. quam res diuinæ gratiæ, liberi arbitrij, iustificationis; quis neget hæc ad substantiam fidei pertinere? quæ tamen plerique vestrûm hactenus negarunt.

VI. Frustra igitur concluditis, cuiquam fraudi non fore, quod nonnulla crediderit, quæ tamen Protestantes respuunt; id sanè fraudi, aut vitio nobis non vertetur. De vobis verò quid dicam, qui ea nō creditis, quæ nos creditu necessaria esse iuramus; ea tutò à nobis credi posse, ac sine salutis æternæ dispendio asseritis, nos tutò reiici non posse, nec sine certo salutis æternæ periculo asserimus; quæ pars, amabò, tutior? Vel enim necessariò credenda sunt; vt nos omni asseueratione affirmamus; vel non sunt necessariò credenda, licèt ea credi possint: si primum, certum lucrum æternæ salutis nos manet, vos verò æternæ damnationis pœna; si verò alterum, vt nihil inde lucramur, ita nihil perdimus. Videte, quæso, quàm prudenter agamus: si credimus, nullum adimus periculum, sed certam æterni præmij spem; si verò non credimus, nullum inde fructum speramus, sed pœnam æternam timemus. Vno verbo, cùm diuina fides vna sit, vna enim est credendi ratio, vt nihil reiici debet ex iis, quæ credenda, ita

nihil

nihil credi ex iis, quæ credenda non sunt; nec minùs contra fidem peccamus, si quædam non reuelata credimus, quàm si alia reuelata non credimus.

EFFVGIVM III.

Ducitur ex ignorantia inuincibili Lutheranorum & Caluinistarum.

QVorum, inquiunt, simplex ignorantia damnanda non est, neque error damnari debet, maximè inuincibilis, vti est plerorumque; sed errores, quos Catholici in Lutheranis & Caluinistis, hi verò in illis comprobant, ita sunt comparati, vt eorum, circa quæ versantur, ignorantia innoxia sit; igitur neque errores damnabiles erunt, sed mutuò tolerari possunt. Ignorantia autem illa dupliciter considerari potest; vel enim sunt talia, quæ ex se & sua natura spectando fidem, in ordine ad omnes homines tutò ignorari possunt, cuius generis multa sunt in Concilio Tridentino definita; vel sunt eiusmodi, quorum notitia quidem requiritur, non tamen imputatur culpæ eorum ignoratio, si nullâ suâ culpâ contigerit.

Ad eundem modum, cum errore etiam circa talia, comparatum est; in quo si quid vitij est, res tota redit ad primum proponentem; cæteris omnibus fuerit innoxius. Iam verò numerum inire eorum articulorum, quorum ignorantia innoxia fuerit, haud difficile est, si consideremus, quæ fuerit multorum Martyrum, quæ plerorumque fidelium ex

vul-

vulgo conditio, vt illis fraudi coram Deo non sit; quòd nemo fuerit, qui ipsis omnia proponeret. Ita alios quoque coram Deo, extra culpam futuros, quod eadem non rectè ipsis fuerint proposita; Iudæis olim & Gentibus non potuisse aliter obtingere æternam salutem, nisi per fidem in futurum Messiam, quantumuis quis & qualis esset futurus, plerique erroneè crederent. Quòd si in primario articulo error aliquis innoxius esse possit, in promptu esse, quid censendum sit de reliquis.

PRÆCLVDITVR.

I. Nullus dubito, quin illa ignorantia, quam inuincibilem vocant (ego suprà inculpatam vocaui) à peccato excuset; idem prorsus de inculpato errore dicendum est. Præterea scio, diuinæ fidei dogmata duplicis generis esse, alia nempe sunt, ad quæ credenda explicitè ita tenemur, vt nulla nos ignorantia excuset, in ordine scilicet ad salutem; quænam autem illa sint, cùm Theologi minùs inter se de iis conueniant, non est huius loci disputare. Sunt, qui putent dari posse ignorationem Dei inculpatam; alii negant: dato verò, quòd esse possit, fortè cum omnimoda omnium articulorum ignoratione aliquis adultus saluari posset; nempe infans sacro lauacro tingi potuit; vbi verò adoleuit, breui pòst tempore, nulla mortali noxa obstrictus mori, atque adeò saluari; licèt ea temporum & locorum ratio esse potuerit, quæ non passa

sit,

fit, eum quidquã de Deo, vel religione audire. Idem de inculpato errore dicendum esse constat; sic multi ex Iudæis & Gentibus, fidem de Christo valde obscuram habere poterant, immò multa de Christo per errorem credere; fidem autem de Christo explicitam ante Christi aduentum ad salutem necessariam fuisse, probari vix potest.

II. Sed quamuis vltrò demus, quidquid in hoc capite adducunt; quid tum? bene est; quisquis vestrûm inculpatè aliquem articulum ignorat, vel in eo errat, etiam inculpatè, hoc nomine, ab æterna gloria nunquam excidet. Sed quàm pauci sint, quos inculpata ignorantia, vel inculpatus error excuset, abundè sanè dictum est, in Prop. x. Rat. x. quàm enim multa sunt, de quibus dubitatis; quæ per contumaciam, vel alio simili, eóque minùs honesto ducti studio defenditis; quæ religionem vobis incutiunt, & conscientiæ stimulis mentem agitant; quæ rationi vestræ non faciunt satis; quæ non modicam vobis offensionem præbent, vel scandalum, vt vocant. Scitis, vnde vestra religio fœdissimum ortũ duxerit; ex quo fonte vestri errores hausti; quid Lutherum, quid Caluinum, alióśque vestrarum partium principes ad Ecclesiæ Romanæ excutiendum iugum mouerit. Quâ illi sanctimoniâ, quâ virtute & pietate, quâ indole fuerint, quâ demum charitate, quo zelo accensi. Pauci sanè inter vos hæc ignorant; vos saltem magistri in Israël minimè ignoratis; vos ergo nulla ignorantia, nullus error excusat.

III. Prætereà, esto, iis fraudi futurum non sit,

quod inculpatè ignorant; si tamen alia quapiam lethali noxa adstringantur, quod certè procliue esse, negari non potest, habita scilicet corruptæ naturæ ratione, cùm iis remediis careant, quibus à Deo peccatorum veniam obtinere possint, quis miserrimum eorum statum non deploret: remediis, inquam, quæ à nostrorum Sacramentorum vsu petimus. In hoc articulo errant v. g. quantumuis inculpatè volueritis, quòd scilicet per fidem, lapsum hominem iustificari falsò credant; hic quidem error nouæ culpæ non vertitur, nec imputatur; non tamen facit, vt reuerà per fidẽ iustificentur, & ab aliorum peccatorum vinculis absoluantur. Hinc sanè videre potestis, quantum æternæ salutis detrimentum, ex hoc etiam inculpato errore nascatur; nisi enim fortè hoc errore tenerentur, alia profectò remedia quærerent, ac de iis doctiores interrogarent, ac tandem diuinæ gratiæ præsidio instructi peccatorum veniam obtinerent.

IV. Hinc sanè perspicuum fit, quàm leue ac friuolum sit, quod de ignorantia, vt vocatis, inuincibili, & inculpato errore prætexitis; cùm perrari profectò ij sint, quos inculpatus error excuset. Et quamuis hoc demus; hoc tamen nõ facit, quin eorum conditio pessima sit, in qua iis mediis ac remediis carent, quæ Christus singulari certè beneficio suis fidelibus præparauit; Sacramentorum scilicet efficaciâ. Si enim Sacramentum Baptismi ac primam illam regenerationem excipiam, nullo alio gaudetis Sacramento; nempe nullam exhomologesim

habe-

habetis, quæ secunda est post naufragium tabula, & prorsus necessarium reconciliationis Sacramentum. Veram quoque synaxim minimè adhibetis; si fortè Græcos sacris mysteriis legitimè initiatos excipiamus; nempe Caluinistæ præsentem Christum esse negant; Lutherani præsentem quidē agnoscunt, saltem in ipso vsu, defectu tamen validæ ordinationis, ac potestatis, præsentem Christum non habent. Cùm igitur hæc duo Sacramenta ad salutem obtinendam, adultis adeò necessaria, vobis desint, quid mirum, si in eo statu sitis, non obstante quouis errore inculpato, in quo saluari minimè potestis.

EFFVGIVM IV.

Ducitur ex flagitiosis Cleri moribus, qui schismati occasionem præbuerunt.

Constat, inquiunt, ante hos CXXX. annos cùm primùm hoc lamentabile schisma in Occidente exortum est, flagitiosissimos passim fuisse Cleri mores, magnam eius imperitiam & ruditatem, summam in instruendis in doctrina Christiana, & administrandis Sacramentis segnitiem, corruptam fuisse Episcoporum vitam. In reliquo Clero, præter alia grauissima vitia, concubinatum perpetuum obtinuisse; curiæ Romanæ mores deprauatissimos, omnibus piis fuisse abominationi. Episcopos denique Vrbis maximam partem ita se gessisse, non tantùm in vita priuata, sed etiam in

gubernanda Ecclesia, quam nepotum direptioni exposuerunt, vt homines pietatis amantes nihil æquè optauerint, quàm eos esse alios. Constant, aiunt, illa omnia, ex illius temporis historia & scriptis, de corrupto Ecclesiæ statu, ab optimis & Catholicis viris, quin etiam sanctis, eo tempore editis; nota sunt gesta Alexandri VI. & Iulij II. Pontificum proximè Leonem X. antecedentium.

Adrianus VI. quum legatum suum F. Cheregatum ablegasset in Germaniam, ipse vltrò fassus est, in capite & membris necessariam esse reformationem. Idem visum est delectis à Paulo IV. iisque eruditissimis Cardinalibus, quibus id negotij datum erat; neque ipsum Tridentinum Concilium diffitetur, Ecclesiam indigere reformatione. Plura addere opus non est; nota illa sunt in vulgus, non ex scriptis tantùm protestantium, sed etiam ipsorummet Catholicorum: quin igitur deplorandus ille Ecclesiæ status schismati occasionem dederit, dubium nullum est. Quamquam autem Lutherus & Caluinus sectarum principes fortè non satis excusari possint, quòd re non satis ponderata, dimiserint Ecclesiam, aut in reformatione Ecclesiæ, ab ipsis Pontificibus iudicata necessaria, & ab omnibus expetita, longiùs quàm fas erat, & ex vsu Ecclesiæ, fuerint progressi; non id tamen iis obesse posse, qui obseruatis tam manifestis Ecclesiæ vitiis, eorum odio & studio sanctioris disciplinæ inducti, bono animo illos sequuti sunt. Quòd autem aliqui laxioris vitæ desiderio, quam sperare poterant rebus turbatis, aut spe prædæ ex bo-

bonis Ecclesiasticis capiendæ, eorum partibus sese addixerint, illos vti culpâ non carent, ita etiam neque pœnâ esse carituros.

Negari equidem à nemine posse, quin maxima culpa penes curiam Romanam & Episcopos, atque reliquum Clerum resederit, qui indignati vitia sua, quæ omnibus horrori erant, à quoquam notari, non tantùm non mutauerint, sed in sententia perstiterint, in id tantùm intenti, quomodo minis & terroribus, non autem meliore suî mutatione, refragantes in ordinem redigerent. Ipsorum igitur culpâ & sceleratâ socordiâ scissam fuisse Ecclesiam, cùm illi, qui reformationi cœptæ assenserunt, maximam partem fuerint innocentes. Nunc verò etiam eò magis habendos immunes errore vllo grauiore, quò altiores per educationem, & satis longam armorum seriem, in eorum animis radices egit amor religionis, quam sequuntur; cui tamen plerique ita adhæreant, vt profiteantur, se quàm lubentissimè, etiam reapse, iterum coalituros in vnam Ecclesiam & cœtum conformem, modò remoueantur obstacula, quæ maiores eorum primùm mouerint, vt Pontificum minis coacti suas sibi res habere mallent.

Quamquam autem fortè aliqua mutata sint in melius, manere tamen adhuc pleraque, quæ schisma foueant, & incurabile reddant: eiusmodi esse Pontificum summam ambitionem, in eo maximè sitam, quòd sibi arrogent auctoritatem, ceu à Deo sibi collatam, statuendi de capite & fortunis quorumuis Regum & Principum, veluti iudicium orbis totius

illis competat: nunc etiam eorum ſtudia nihil minùs eſſe, quàm Eccleſiaſtica, cùm tantùm, neglectis cæleſtibus, ad res terreſtres ſint intenti. Cardinalium luxum & faſtum vix amplius ferri poſſe; curiæ Romanæ rapacitatem neque nunc deſiiſſe; Epiſcoporum, in grege ſuo colendo, ſocordiam, & ſacerdotum multorum vitam impuram etiamnum plurimis ſcandalo eſſe. Plura eſſe alia, quæ mutari oporteat, quò poſſit ex proteſtantium animis euelli opinio, quam conceperunt de Clero & Romana Eccleſia, ceu tota religio eò ab ipſis torqueatur, vt luxui eorum & ſtudiis atque ambitioni ſeruiat. Hæc ſi mutentur, facilem fore viam ad plenam concordiam, facilè tum inuentum iri rationes, quibus quidquid præterea eſt controuerſiarum, ſopiatur: intereà autem, dum hæc non fiunt, neque illa emendantur, non poſſe ſperari perfectam vnitatem. Suadendam tantùm aliquam tolerantiam inter partes, dum Deus aliter prouideat; eſſe Proteſtantibus, quòd gaudeant, quòd ſe ex eo labyrintho expedierint; & doleant eorum vicem, qui in eodem adhuc luto hærent, quos tamen abſit, vt damnent, vt potiùs eorum miſereantur, iiſque precentur, quo eluctati, expeditiùs ſimul poſſint fieri regni cælorum participes.

Longè aliam nunc eſſe eorum rationem, qui hodie ſeſe ab Eccleſia Romana ſepararunt, quæ olim fuerit ſegregatorum ab Eccleſia Catholica; tunc enim Eccleſiam optimè fuiſſe conſtitutam, doctrinâ, ſanctimoniâ vitæ, & morum puritate excelluiſ-

ſe;

se, nec quidquam eos habuisse, quod in Ecclesia carerent præter fidem, quam ab iis non rectè tradi dicebant. Protestantes autem conuenire cum Romana in iis omnibus, in quibus illi dissenserint à Catholica; contendere autem tantùm de iis, quæ consectaria sint malæ Pontificum & Cleri vitæ, atque corruptelarum, quas ipsi Catholici in Ecclesia agnouerint, & grauiter doluerint. Si quid ab vna, aut altera parte mutatum sit, in illo æstu dissidij, quod satius fuisset relinqui, debere Ecclesiam Romanam eâdem vti animi moderatione, & laudata veteribus συγκατάβασει, in eorum tolerandis infirmitatibus & defectibus, quâ, illi erga eam vtantur. Deinde etiamsi quædam ab vno, aut altero fiunt, ea non esse imputanda toti cœtui. Intereà inuigilandum quotidie perfectiori Ecclesiæ reformationi, & gratias Deo esse agendas, quòd in quaque parte conseruarit ea, quæ constituunt fidem Christianam, quà Christiana est, &c. vti illa à Mahometana & Iudæorum, eorúmque Christianorum, qui priora generalia Concilia non admittunt, fide distinguitur.

PRÆCLVDITVR.

I. TAnto verborum apparatu opus non erat, vt crambem recoctam denuo condiretis; hic vester communis locus, hæc argumentorum vestrorum præcipua sedes est; hæc iam trita declamatio in corruptos Ecclesiasticorum mores. Sed demus, hæc ita esse, vt vultis; demus intolera-

bilem esse Romanorum Pontificum ambitionem, Cardinalium luxum, Episcoporum incuriam, sacerdotum socordiam, ac perditos totius Cleri mores; licèt meras calumnias esse constet; atque inde Patriarchas vestros Lutherum & Caluinum occasionem accepisse descissendi ab Ecclesia Romana: quid tum? ne quidem vos huiusmodi defectionem approbatis. An fortè Sacerdotum mores imitari Christus vos iussit? an fortè illius præcepti estis immemores? *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundùm eorum opera nolite facere.* Si Pastor vltrò sese in fluuium præcipitem agit, quis gregem eò quoque ruere cogit? si consul insanit, cur ciuis sapere non potest? si delirant reges, cur miseri plectuntur Achiui?

II. Mirus certè mihi accidit huiusmodi ratiocinij modus: Romana curia vitiis scatet; ab Ecclesia igitur Romana discedendum est; res nostræ desperandæ; æternæ saluti valedicendum ac renuntiandum. Fidem non accusatis, sed mores, eósque priuatorum hominum; nunquam enim Ecclesia Romana in moribus docendis errauit; vtique nec errare potest per Prop. IX. cur ergo illius doctrinam reiicitis, quæ sana est? cur mores ab ea præscriptos reprobatis, qui sancti sunt? quid vestrâ interest, si pastores suo erga Deum munere non defungantur? modò sanæ doctrinæ cibo vos pascant, & sanctis legibus instituant. Exempla optatis; optandum reuerà esset, vt ij suo vobis prælucerent exemplo; si tamen

men ſecus accidit, verbis, non exemplis; dictis, non factis ſtandum eſt; ac Chriſti oraculo parendum, quis, amabò, non videt?

III. Quòd dicitis, iis obeſſe non poſſe, qui Lutherum & Caluinum ſecuti ſunt, quòd obſeruatis tam manifeſtis Eccleſiæ vitiis, ſanctioris diſciplinæ ſtudio inducti, ab ea diſceſſerint, dare non poſſum; extra Eccleſiam Romanam ſaluari nequeunt, per Prop. x. quid porro magis obeſſe poſſit non video. Supponamus autem, vobis morem geſtum eſſe, ac ea vitia purgata, quæ vos tam acriter ſugillatis; palàm omnino promittitis, fore, vt veſtri omnes ad Eccleſiam redeant? ſi ſecus aliquis faciat, illum ſanè non excuſabitis. Eadem porro militat ratio, licèt ea vitia non purgentur; fidem ſequere, vitia fuge, ne ſi fugias fidem propter vitia, in longè maius ac pernicioſius vitium incurras. Innocentes vocatis, qui ab Eccleſia deſciuerunt, Lutheri & Caluini exempla ſecuti; ſed transfugas & apoſtatas inſontes eſſe, nemo ſanæ mentis facilè concedet. Eccleſiaſticorum culpæ ſciſſionem & ſchiſma tribuitis; ille, ni fallor, criminis reus eſt, qui crimen patrauit; ſciſſionis igitur, quiſquis ab optima parente diſceſſit. Nec eſt, quòd bonam prætexatis fidem, cui furor & libido nullum ſanè locum reliquerunt. Deinde, eſto, demus illam bonam fidem; illa quidem diſceſſio culpę ipſis non vertitur, eos tamen in eo rerum ſtatu collocat, in quo iis remediis careant, quæ ad ſalutem neceſſaria iudicantur.

IV. Ambitioni Romani Pontificis tribuitis,

quòd traditam sibi à Christo potestatem tueatur; eámque adhibeat, vbi opus est: quòd autem facultatem sibi arroget statuendi de capite & fortunis Regum, cum veritate minimè consentit; ipse tantùm pascendo gregi Dominico inuigilat, atque operam nauat; hæc autem spiritualia sunt, vt vocant, in quibus Reges & Principes subditos summus Pontifex agnoscit: nec enim, opinor, Christianos & Catholicos Reges ab ouili Christi excluditis, quod scilicet ipsius curæ creditum est. Denique nemo Catholicus ea concedet, quæ assumitis, in qualibet parte conseruari ea, quæ cōstituunt fidem Christianam; multa enim sunt, quæ ad fidei substantiam pertinent, in quibus nos à vobis dissentimus; nempe quod caput est, ipsam fidei regulam, quam adhibemus, vos ipsi non admittitis: sed hoc caput iam suprà ex professo versauimus, scil. Prop. I v. & Prop. x. Rat. VII. Frustra autem tolerantiam illam, seu moderationem ab Ecclesia Romana exposcitis; cuncta præter errores libentissimè tolerabit; erroris tamen vel minimum næuum tolerare non potest; quia tota pulchra est, omnis maculæ & erroris expers. Hinc antiquorum ac recentiorum Schismaticorum, impar ratio, vt dicitis, non est, cùm in vtrisque fidem Ecclesia desiderârit; tam hi, quàm illi Catholica dogmata impugnabant; immò ausim dicere, plura esse, quæ à Caluinistis, vel Lutheranis impugnentur, quàm ab Arianis, Acephalis, Monothelitis, Pelagianis; quod quàm verum sit, nostri auctores, præsertim Gualterius, luculenter ostendunt.

V. Porro

V. Porro ex iis datis, quæ vos immeritò assumitis, pessimè concluditis, inde vestram defectionem excusari; nunquam enim peccatum iustam excusationem admittit; nec alterius culpa vobis imputatur, nisi consensu ac voluntate vobis eam vindicetis. In mandatis à Christo non habetis, vt ad sacerdotum vitam, si fortè impura est, vestram componatis; illi haud dubiè delictorum pœnas dabunt: quod dicunt, credite, facite; quod faciunt, non credite, non dicite, aut saltem non facite: quamquam, vt iam suprà indicaui, corruptos Cleri mores nimiùm exaggeratis. Vt non negauerim, aliquos in hoc gradu esse, qui eam morum sanctitatem non colunt, quam huius ordinis dignitas postularet, neque hoc mirum est, in tanta Ecclesiasticorum multitudine; ita quisquis veritatis amans est, inficias non ibit, quin plerique eiusdem ordinis eam vitæ formam teneant, quæ homines sacris ministeriis addictos plurimùm decet. Inter Romanos Pontifices erunt sanè, etiam hisce temporibus, qui tanti nominis & muneris mensuram impleant; Marcellos, Pios, Adrianos, Gregorios, Clementes, iis sanè virtutum ornamentis instructos fuisse, nemo nescit, quæ non modicum huic summæ dignitati splendorem attulerant: Alexander VI. & Iulius II. aliquot fortè næuis maximas alioquin virtutes suas macularunt.

VI. Prætereà quòd Adrianus VI. ingenuè fassus sit, Ecclesiam indigere reformatione, in capite & in membris, antiqua vox est in Concilio Constantiensi audita. Quasi verò homines ipsi non simus, atque

adeò

adeò omni tempore Ecclesia membra corrupta non habuerit; hinc sanctorum Patrum querelæ. In primitiua Ecclesia non desunt huiusmodi corruptionis exempla: quid si vnus ex duodecim Apostolis Christum ipsum Iudæis vendidit & tradidit; vnus ex septem primis Diaconis hæresiarcha fuit; septem illi Episcopi, quos S. Ioannes obiurgat, à primo feruore defecerunt; innumeri ferè Episcopi Arij, Donati, Macedonij, Pelagij, aliorúmque hæreticorum partes amplexi sunt; non tamen propterea ab Ecclesia Romana discedendum fuit. Cur igitur defectionis vestræ culpam in corruptos Cleri mores reiicitis? cur exprobratis reformationē in capite & in membris, quam optimus Pontifex Adrianus VI. pro eo quo erat animi candore necessariam esse iudicauit? cur potiùs humanissimam optimi Parentis monitionem contempsistis? Nempe ille paterna sanè oratione maiores vestros ad reditum hortatus est; eo fine tot nuntij delegati, tot legati destinati & missi; prima scilicet Ecclesiæ Romanæ capita, Aleander, Cheregatus, Commendonus, Delphinus, Caietanus, Campegius, Contarenus, Ceruinus, Moronus, Hosius, aliíque eiusdem ordinis homines, quorum pretiosam operam maximis expeditionibus minimè imparem, inutilem reddidistis.

VII. Quid? quòd mores duntaxat corruptos carpitis; sed eximias virtutes & luculenta virtutum specimina, quæ nostri homines passim edunt in lucem, malignè reticetis: nempe in singulis ordinibus, illustri sanctimoniâ ac doctrinâ viros habemus.

mus. Sed more veſtro, virtutes in vitia conuertitis; ambitionem vocatis, ſtudium retinendi ac defendendi ſua iura; & auctoritatem à Chriſto Petro conceſſam, faſtum appellatis, illum exterioris cultûs apparatum, qui tamen cum Chriſtiana animi demiſſione coniunctus eſt; auaritiam eſſe dicitis, modicam Eccleſiaſticorum vectigalium exactionem. Quid porro diceretis, ſi ſummo iure Romanus Pontifex vteretur? illa paulò acrior Chriſti obiurgatio hîc fortè locum haberet, Hypocrita eiice priùs trabem de oculo tuo, qui feſtucam in oculo alterius adeò exaggeras. Fateor, Clerum noſtrum ita ſanum & integrum non eſſe, quin aliquid labis contraxerit; ea quippe eſt noſtræ mortalitatis conditio, vt in qualibet multitudine eximij, pauci; multi, mediocres; nonnulli praui ac vitiati ſint. Miniſtellos veſtros, immò & Patriarchas vobis ante oculos pono, vt eos cenſeatis; Eccleſiam Romanam lapidibus obruere deſideratis; adulteram illam Babylonem, ſic enim vocatis; ſed, quæſo, quiſquis veſtrûm ſine peccato eſt, in eam primus lapidem mittat: ſeriò loquor, cùm agnoſcatis fidem ſanam in Eccleſia Romana, & mores duntaxat carpatis; quid fidem ſanam, reiectis moribus, amplecti recuſatis? Sed ad alia effugia veſtra gradum facio.

EFFV-

EFFVGIVM V.

Ducitur ex ea nonnullorum Catholicorum sententia, Gentibus scilicet notitiam naturalem de Deo sufficere.

NOnnulli sunt in Ecclesia Romana, & ex Societate Iesu in primis, eruditissimi Theologi, quorum hęc est sententia, quam Iustino martyri, Clementi Alexandrino, aliisque antiquis Patribus tribuunt; Gentibus, quibus Christianæ religionis notitia nulla est, sufficere notitiam naturalem de Deo, & de lege naturæ; si vitam secundùm eam rectè instituant, ne damnentur. Quanto igitur magis censendi sunt æternæ salutis futuri participes, qui ea omnia credunt, quæ propriè & intrinsecè, atque ex sua natura à Deo, ad consequendam vitam æternam sunt ordinata. Quin verò Lutherani & Caluinistæ cum Catholicis in illis omnibus conueniant, dubium non est, quum omnes profiteantur Symbolum, vnà cum omnibus declarationibus, in antiqua Ecclesia editis; neque quicquam in præcipuis fidei nostræ articulis, Trinitatis & Incarnationis mutârint, nihil quoque in iis, quæ spectant ad vitam æternam, resurrectionem mortuorum, aliáque maioris momenti.

Si durum Theologis videtur, damnare ad inferos, qui colunt Deum, sicuti cognosci potest ratione naturali; quanto durius est & crudelius, stygiis obiicere flammis eos, qui non tantùm colunt Deum, vti cognosci potest, sed etiam quem-

quemadmodum ipse reuelauit, atque coli præcepit. Contendunt autem de rebus, quæ Dei cultum & honorem non spectant, atque bono animo diffident; de Pontifice non rectè sentiunt, culpâ potiùs illius, quàm suâ; cùm ita plerumque viuat, atque ita se gerat, vt in honore nullo esse possit. Sanctos non inuocant, ne honori diuino, quicquam detrahere videantur. Indulgentias negant, quòd delibare aliquid de infinita meriti Christi efficacia videantur: ritus quosdam aboleuerunt, quòd arbitrentur, illorum multitudine, abstrahi potiùs animum à vero Dei cultu, qui in animi puritate & submissione consistat, quàm vt mentem eleuent; commendant verò orationem in spiritu & veritate. Sub vtrâque malunt communicare, quòd eam institutioni primæ putent esse conformiorem: transsubstantiationem non admittunt, quòd persuasi sint, non tantùm nouam eam esse vocem, sed etiam veritatem verborum Christi, simplici, sed imperceptibili, nec ab humano ingenio curiosè scrutanda coëxistentia cum pane, saluari posse; mysteria autem, & in primis sublimia, non debere multiplicari, præter necessitatem. Presbyteris suis permittunt coniugium, quod idem etiā Seruator & Apostoli fecerunt, & quotidiano exemplo discamus, multos quidem esse cœlibes, sed paucissimos continentes. Pari ratione expendi posse, aiunt, reliqua, de quibus inter partes controuersia est; etiamsi errent, nullius tamen momenti errores esse præ reliquis, in quibus conueniant; tum etiam bono animo ab ipsis errari.

PRÆ-

PRÆCLVDITVR.

I. QVid censeant eruditissimi Theologi, quos non citatis, scire non possum: vnum scio, sine fide nos placere Deo non posse; sine Baptismo in re vel in voto neminem saluari posse; accedentem ad Deum debere credere: scio quoq; communem esse scholasticorum sententiam, neminem adultum, propter peccatum originis duntaxat vnquam damnari; quod licèt probabile sit, non tamen, vt arbitror, ab iisdem demonstratur, sed probabilibus solummodò argumentis comprobatur. Scio demum, verisimile esse, quòd si adultus sacro lauacro non tinctus, legem naturæ intactam & integram seruârit, Dei prouidentiæ esse, illius saluti consulere: suppetunt autem innumeri ferè modi, quibus rem ad felicem exitum Deus perducat. Hoc tamen non probat, notitiam Dei naturalem, Deique amorem pariter naturalem, ad finem illum supernaturalem obtinendum sufficere; cùm Baptismus, saltem in voto, necessarius sit, vt verba Christi cum veritate consentiant. Sed quid inde, quæso, deducitis? vestros scilicet, qui errore inculpato tenentur, minimè damnari? si nullo alio scelere obstricti sunt, facilè concesserim; nempe inculpatus error non imputatur, aut culpæ vertitur; sed rara auis in terris. Si verò alia scelera committant, cùm remedio à Christo nobis parato careant, vix vnquam ab iis liberari, & exsolui queunt. Contritionis vi, inquies; sed quàm difficile? Itaque pauci sunt,

ci sunt,

ci sunt inter vos, qui errore inculpato ducantur, vt constat, tum ex Effug. I.II. tum ex Prop.x.Rat.x. Ex iis verò paucis, nullus ferè animum ab omni labe mortali liberum seruat, atque adeò omnes delinquunt; ex his autem pauci, immò ferè nulli, qui per veram contritionem culpas suas expungant. Per fidem, inquiunt; sed in hoc erratis; neque error, quamuis inculpatus sit, huic occurrit incommodo; nec ideo, quia hoc creditis, vestra fides peccati veniam vobis affert: vnde hoc argumentum penitus corruit, ac effugium inane præcluditur.

.II. Frustra vobis idem Symbolum arrogatis, quod certè idem non est, vt suprà euici in Effug. 1. imò quod Tertullianus de Bapt. c. 15. de Hæreticis sui temporis habet, in vos aptè quadrat. Non idem Deus, inquit, nobis est & illis; nec vnus Christus, id est, idem. Addo ea, quæ S. Augustinus Manichæis exprobrat. Qui in Euangelio creditis, quæ vultis, & in Euangelio non creditis, quæ non vultis, non Euangelio creditis, sed vobis ipsis. Nec durum dictu est, infidelem hæreticum, apostatam, stygiis flammis deuouendum esse, nisi resipiscat; nec bonus ille animus sufficit, qui & in paucis est, & eos, qui eô ducuntur, ab aliis peccatis non liberat. Quòd verò subnectitis, nostrarum controuersiarũ capita ad Dei cultum & honorem minimè spectare, stare nullatenus potest: quasi verò res sacrificii, Sacramenti, sacræ ordinationis, consiliorum Christi, perfectionis Euangelicæ, diuinæ gratiæ, liberi arbitrii, iustificationis, auctoritatis Ecclesiæ, primatus Petri, aliáque

id genus ad diuinum cultum & fidem non pertineant? Nisi quis in media luce cœcutiat, sanè oportet, agnoscat, cuncta hæc ad diuinum cultum & fidem pertinere: quasi verò sola Trinitas, æterni Verbi Incarnatio, vtraque æternitas, carnis resurrectio, fidem nostram adæquent; dij vobis meliora.

III. Quod subiicitis de Romano Pontifice, stylo vestro indignum est; quæso, memineritis velim præcepti Apostolici, *Obedite præpositis vestris, etiam dyscolis.* Quasi verò minùs Christiana vita eum iure suo, auctoritate sua spoliet; culpa vestra est, non optimi Parentis, qui vobis dexteram porrigit, amplexus & cor ipsum aperit, pro vestra conuersione preces & lacrymas ad Deum fundit; hæc grauis illius culpa est, hoc modo erga vos se gerit, ita viuit, vt apud vos in nullo penitus honore sit. Bona verba, quæso; res secus se habet, mihi credite; si leuiores quandoque sunt næui, magnis haud dubiè virtutibus expunguntur: quamquam, licèt etiam hoc demus, quæcunque dixerit vobis, seruate & facite, secundùm eius opera nolite facere. Vltimo loco delibatis nostrarum controuersiarum capita, Sanctorum cultum, indulgentias, ritus sacros, communionem sub vtrâque, transsubstantiationem, sacerdotum cœlibatum; hæc à nostris auctoribus agitata fuêre, & pro dignitate discussa, vos videritis. Cæterùm quòd sanctos Dei amicos singulari cultu & obseruantiâ colatis, nihil certè honori diuino detrahit, cùm ad eius honorem & gloriam cuncta hæc refer-

ferantur. Indulgentiæ infinitis Christi meritis nõ aduersantur, cùm illa potiùs supponant, vt Thesaurus inexhaustus sit; Sanctorum enim merita finita sunt. Ritus sacri, quos adhibemus, animum à vero Dei cultu nullatenus auertunt, quin potiùs ad eum finem mirificè iuuant, & Christianam animi demissionem, pietatem, & diuini amoris ardorem non parùm promouent: probate, amabo, nec enim vobis inexpertis fides habenda est. Communio sub vtrâque vestræ optionis non est; legibus Ecclesiæ parendum, & rerum sacrarum præfectis. Ridiculũ dictu est, quòd cuique ad suam indolem sacros ritus componere liceat. Transsubstantiationis res & nomen vobis non placent; nomen, inquam, quod nouum est: nomen etiam Trinitatis & consubstantialis in sacris libris non reperietis. Vnum reponere sit satis: Cuius est de rebus & controuersiis fidei iudicare; ouisne, an pastoris? discipuli, an doctoris? in Ecclesia auctoritas illa iudiciorum ac definitionum, pro controuersiis fidei, relicta est per Dat. XVII. cur eius decretis & constitutionibus non statis? Coniugium sacerdotum quid, quæso, vos mouet? rerum vestrarum satagite; vestris vxoribus consulite; sinite Clerum nostrum; cur Laici administrationi Ecclesiasticæ vos immiscetis, quæ summi Pontificis sacrorum præfecti curæ commissa est? Denique quòd vestros, nullius momenti errores esse dicitis, profectò hallucinamini; maximos, perniciosissimos & innumeros esse ducimus; neque vos antiquis Arianis, Pe-

lagianis, Manichæis, aliisque hæreticis minores aut meliores esse putamus.

EFFVGIVM VI.

Ducitur ex eo, quòd errores partium ita sint comparati, vt eapropter Deus neminem excludat.

QVòd si igitur partium omnium errores, quicunque tandem illi fuerint, ita sunt comparati, vt sperare liceat, Deum eapropter non exclusurum quemquam, si cætera rectè viuat, ab æternis gaudiis; quæ tam fuerit illa effrænis animi feritas, vt cùm cohæredes aliquando simus futuri in cælis, hîc in terris, non tantùm nos inuicem non amemus, & alter alterius onera portare parati simus, sed etiam inuicem persequamur, mutuisque odiis decertemus; quum Deus Opt. Max. nos habeat pro filiis, nos tamen dedignemur inuicem habere pro fratribus.

PRÆCLVDITVR.

I. IAm ostensum est, partium errores, vestrarum scilicet, ita comparatos esse, vt pro grauissimis habeantur; nec sperari posse, nisi inculpata ignorantia excuset, vt æternam felicitatem obtineatis. Quamquam licèt inculpata ignorantia, quâ reuerà pauci tenentur, faciat, ne inculpatus error vitio

tio & culpæ vertatur, in eo tamen ſtatu vos ponit, in quo iis remediis à Chriſto inſtitutis, ac ſuæ Eccleſiæ relictis, omnino caretis, ſine quibus vix quiſquam adultus ſaluari poteſt. Hinc ſanè effræna non eſt animi feritas, veſtri vos officij monere, necnon manifeſti æternæ damnationis periculi, quod vobis imminet. Si veritas vobis non arridet, aliud à nobis expectare non debetis, quàm certè ſi vobis liberè prædicamus, non odio, non liuore, nec alio quopiam deprauati affectûs ſtudio, ſed puro veſtræ ſalutis deſiderio ac zelo ducimur.

II. Porro cohæredes in cælis habere percupimus, & fratres in terris; ac parati ſumus, ſaltē maxima pars, pro veſtra ſalute, cum ſanguine vitā profundere, clementiſſimi Seruatoris noſtri exemplo, cuius reuerà teſtimonio, ſacris tabulis conſignato, nemo maiorem charitatem habet, quàm vt quis vitam & animam ponat pro amicis ſuis; id eſt, pro iis, quos in Domino diligit, licèt ab iis fortè non redametur. Hæc, inquam, maxima bona vobis ex animo expoſcimus, apprecamúrque; ſed cùm eiuſdem Matris, Eccleſiæ ſcilicet, filij eſſe nolitis, nobis certè, qui eiuſdem Eccleſiæ filij ſumus, fratres eſſe recuſatis. At quiſquis Eccleſiam matris loco non habet, Deum Patris loco habere non poteſt; ſi autem Deus vobis Pater non eſt, ſua profectò hæreditate vos excludet; hinc nec veri fratres, nec cohæredes noſtri futuri eſtis.

EFFVGIVM VII.

Ducitur ex modestia Saluiani Massiliensis, qui de Gothorum damnatione dubitauit.

IMitandam esse, inquiunt, Saluiani Massiliensis modestiam, qui de Gothis & Wandalis Ariana labe infectis, quâ nulla fuit hæresis grauior, & quacum, quidquid Protestantibus & Romanis affingitur, seu verè, seu falsò errorum, nullo loco haberi debeat; ideo tantùm, quòd decepti à quibusdam Episcopis bono animo errarent, sensit, sciri non posse, quomodo aliquando in extremo iudicio plectendi sint. Si enim vita inspiciatur, eos Catholicis longè meliorem agere vitam; si fidem, eos in sua sententia ita perstare, vt putent, ita atque illi Deum colunt, rectè coli, aliterque illi fieri iniuriam. Quòd si ea fuit Saluiani sententia de Gentibus Arianis; quarum error, totius penè orbis iudicio, erat damnatus, quique Christianam fidem euertit; quid eum putemus dicturum fuisse de partibus, in quas Ecclesia hodie scissa est? præsertim quum pariter, quæ recesserunt à Romana, vitæ sint purioris & cõtinentioris, atque illæ, quæ Romanæ adhærent, emineant certè plerisque illis virtutibus, quas in Gothis Wandalisque laudat Saluianus; cæteris ferè iisdem iterum vitiis commaculatis, quæ suo tempore in Catholicis damnabat Saluianus. Illum ægrè non laturum, quòd Caluinistæ imaginibus cultum non tribuant; quum multis annis postea, patriæ ipsius Massiliæ Episcopus Serenus eas, quòd populus nimiùm

niùm illis esset addictus, metu idololatriæ, ex templo eiecerit: Illum imitatos reformatos, Lutheranos verò sequi Gregorium Magnum ad Serenum scribentem, posse eas relinqui in Ecclesiis, vt vice librorum essent rudibus: Et vulgò Hominum communionem sub vtrâque, Saluiani tempore, vbique fuisse in Ecclesia receptam: De Iustificatione, si tota illa doctrina verbis simplicibus proponatur, sicut Saluiani ætate, fidei articulos proponere vsus erat, nullam esse dissensionem. Saluiani igitur iudicio, tolerantiam aliquam inter partes institui posse; saltem de omnibus optimè sperari, huius moderationem animi potiùs sequendam, quàm aliorum seueriorem sententiam.

PRÆCLVDITVR.

I. SAluiani modestiam osculamur, quem vtinam iudicem in præsentibus controuersiis habere possemus; nullus enim dubito, quin homo verè Catholicus errores vestros damnaret. Equidem in libris suis ita exaggerat Christianorum, & maximè Clericorum sui temporis mores, vt nimius videri posset, nisi ex vero zelo gloriæ Dei, vt bene monet Bellarminus, & salutis animarum, eius oratio proficisceretur. Quid porro dicturus esset, si strages illas, quas vestri Ecclesiæ Catholicæ intulerunt, aspiceret? quibus lacrymis miseram Ecclesiæ sortem defleret? quibus querelis cælum terrámque compleret? quibus verborum aculeis errores vestros perstringeret? quibus

demum formulis impietatem, crudelitatem, barbariem hæreticorum huius temporis exaggeraret?

II. Sugillabat Catholicos sui temporis, non religiosos, quos nominatim excipit, sed alios omnes, omnísque generis, nobiles, milites, mercatores; vbi autem de hæreticis sermonem instituit, lib. 4. de Prouid. His omnibus, inquit, quantum ad legem diuinam pertinet, dico, nos sine comparatione esse meliores; quantum ad legem, inquit; quantum ad fidem, fideíque dogmata; Veritas apud nos est, inquit, lib 5. apud nos, id est, apud Catholicos. Et quamquam Arianos ibidem excusare videatur, Gothos scilicet & Wandalos, quorum errores magistrorum suorum culpæ tribuit; nunquam tamen asserit, saluos fore, sed propter eum errorem suum, quem inculpatum esse supponit, & cum bono animo coniunctum, in extremo iudicio minimè fortè puniendos; Qualiter, inquit, pro hoc falsæ opinionis errore puniendi sint, sciri non posse, ac iudicem Deum duntaxat scire.

III. Hæc non modò damus, sed aliquid vltra, nempe scimus, ac sentimus cum doctoribus Catholicis, neminem propter inculpatum errorem iustè plecti posse; inculpatum autem hic auctor supponit. Hoc tamen non facit, quin propter alia peccata plectantur, quibus remedia difficilè adhiberi possunt, quibus ij scilicet carent, qui ab Ecclesia desciuêre: hinc illos, inquit, Dei patientia sustinet, vt tandem diuinæ fidei lumine perfusi plenam faciant Dei voluntatem, & salui euadant. Si hic disputandi locus

esset,

esset, aliud profectò tribunal non appellarem; starem Saluiani verbis ac sententiis, atque ex eius scriptis, mille contra vestros errores testimonia proferre possem; contra illum præsertim, qui vobis omnibus, in re iustificationis communis est. Quòd Arianos longè deterioris conditionis esse dicatis, disputandum non censeo; quamquam ij Episcopos habebant, quos saltem maiori ex parte respuitis, multísque gaudebant Sacramentis, quibus vos caretis. Sed hoc non disputo, nec errores vestros cum illorum erroribus comparo; nam, quod mihi satis est, qui peccat in vno, factus est omnium reus.

IV. Inficias igitur non eo, quin si aliqui vestrûm inculpatis erroribus tenentur, culpæ iis minimè vertantur, vt iam suprà fusè ostensum est; sed inibi quoque ostensum, eos eo in statu esse, in quo vix, ac ne vix quidem, Sacramentorum defectu, saluari queunt. Quòd autem dicitis, vos esse purioris & continentioris vitæ; pace dixerim vestra, hæc ficta laus vestro sordebit in ore. Non negarim sanè, nonnullos inter nos esse profligatissimæ vitæ homines, qui sub Catholico nomine, perditissimam vitam agere videntur; ac proinde facilè dederim, multos inter vos esse purioris & continentioris vitæ: nec etiam similis furfuris homines apud vos desiderantur. Sed quòd iis, qui apud nos Catholicum nomen & institutum verè profitentur, vestri meliores & continentiores sint, dare profectò non possum; de quo iam suprà Prop. x. Rat. xii. viii. itémque Prop. vi. vos videritis, quæ hîc repetere

non vacat. Illæ virtutes, quibus vestri homines eminere dicitis, adeò occultæ sunt, vt oculos nostros minimè perstringant: mihi credite, fieri non potest, vt in magna hominum multitudine, omnes probi sint; qui sitis, nouimus; qui viuatis, scimus; vestra miracula nec vidimus vnquam, nec audiuimus. Tritum prouerbium hîc fortè locum haberet, Sus Mineruam: sacras virgines, quas Paulus maximoperè commendat, hominésque illustri sanctimonia insignes, omníque virtutum genere præditos habemus. Sed quæso vos, sermonem & orationem ad alia conuertamus; hoc mihi excidit, animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt; & sanè dubito, verùm veræ ac Christianæ sanctimoniæ ratio, & Christianarum virtutum praxis vobis probè perspecta sit.

V. Factum Sereni Episcopi, quod sanè vitiosum est, Saluianus, vt fingitis, nullatenus probasset, quod Gregorius Magnus lib. 9. epist. 9. acriter reprobat, ac zelum illius inconsideratum vocat, & culpabilem interrogationem. Laudat quidem hominem, quòd adorationem & idololatriam vetuisset; quòd verò fregisset imagines, acerrimè reprehendit. Quid porrò ex his vestræ causæ faueat, non video; quasi verò priuati Episcopi factum à sancta Sede primùm, tum à Conciliis OEcumenicis damnatum toti Ecclesiæ imputari possit: errauit haud dubiè Serenus, ac zelo indiscreto peccauit, non enim sunt facienda mala, vt bona eueniant. Sed quid inde? an fortè hic primus errauit ex Episcoporum ordine? in fide tamen à Gregorio Petri successore confirmatus fuit,

vt

vt vel inde firmissimum contra vos eruatur argumentum; nempe Gregorius Magnus Pontifex de omnibus omnium causis cognoscebat, scripsitque epistolas ad Episcopos vtriusque Ecclesiæ, Orientis, scilicet atque Occidentis, ad regimen Ecclesiasticum pertinentes, & pro supremo in Ecclesia iudice ab omnibus habitus est, quod sanctæ Sedis prærogatiuam prorsus euincit.

VI. Quod pertinet ad sacrarum imaginum cultum, apud nostros auctores videritis; si alij desunt, vnus Bellarminus controuers. 7. lib. 2. sufficiet; res adeò trita est, vt vel ipsi Tirones probè intelligant, quid imaginem inter, & idolum discriminis intercedat. Prætereà, neque vos ipsi conuenitis; Lutherani admittunt, Caluinistæ respuunt, malúntque Leonis vtriusque, Isauri scilicet & Armeni, Copronymi, Theophili, aliorúmque Iconomachorum, quàm Constantini, Theodosij, Caroli Magni, Ludouici Pij, aliorúmque Catholicorum Imperatorum partes sequi. De Communione sub vtrâque nō disputo, ne iam actum agam; institutionis diuinæ esse concedimus; præcepti tamen esse negamus. Sic Apostolatus diuinæ est institutionis, non tamen præcepti; idem dico de Matrimonio: verbo dico, in iis, quæ ad sacros ritus spectant, legibus Ecclesiæ standum est. Quòd autem illa vbique fuerit tempore Saluiani recepta; eâdem facilitate negamus, quâ asseritis. Legite nostros auctores, & videbitis, communionē sub altera duntaxat licitam semper fuisse; si alij desunt, vel vnus Becanus sufficiet, to. 2. opusc. 6. cap. 4.

6. cap. 4. & 5. Quod subnectitis de iustificatione, pro qua nullam nisi verbo tenus inter nos dissensionem esse vultis, nemini certè persuadebitis. Denique quòd Tolerantiam aliquam, Saluiani iudicio, inter partes institui cupiatis; profectò, si Saluiani iudicio & stylo standum fit, qui vix in suis aliquos næuos ferre potuit, in vobis infidelitatem & contumaciam nullatenus tolerabit. In hoc sanè pietas est, pium non esse; nullum errorem ferre possumus; nec in fidei societatem illos admittere, qui in præcipuis fidei articulis ab Ecclesia Catholica dissentiunt; arca Dei cum Dagone conuenire nunquam potuit.

EFFVGIVM VIII.

Ducitur ex facie veteris Ecclesiæ, quæ retento communi Symbolo, varios ritus & opiniones permittebat.

Considerandam esse faciem veteris Ecclesiæ; primâ maximè ætate, eam fuisse diffusam per totum orbem prædicatione Apostolorum, qui ideo, antequam vnusquisque eorum secederet in prouincias, quas erant sortiti, instinctu Spiritûs sancti, in Symbolum, ceu credendi regulam consenserint. Alios ritus & opiniones fuisse passim diuersissimas; non vnum omnibus in Sacramentis celebrandis, non in festis, non in ieiuniis morem; neque sciri posse, vnde ista diuersitas fuerit, nisi ab Apostolis, aut primis Euangelij præconibus, qui se

captui & ingenio populorum, ad quos proficiscebantur, suauiter accommodauerint: non aliam posse dari huius diuersitatis causam. Vnamquamque Ecclesiam iam olim ad primos, qui Euangelium illis prædicauerint, originem earum referre; sed constitisse inter omnes optimè concordiam, per illam breuissimæ fidei consonantiam; quamquam cæterarum rerum & opinionum dissonantia esset maxima. Vnum fuisse omnibus nomen Christianum; cæterùm quemque secutum fuisse ritum Gentis suæ.

Deinde verò vbi constitutæ essent passim Ecclesiæ, iisque præpositi præsides, atque illi aliis iterum subiecti, eos quoque cœpisse regere Ecclesiam eo modo, quo solent gubernari Respub. cœpisséque iisdem modis studere vnitati Ecclesiæ conseruandæ, quibus Reipub. tranquillitati consulitur. Tum natas concertationes de rebus non magni momenti; quúmque illæ turbarent Ecclesiam, tandem ex prudentiorum, aut plurium auctoritate, in alterutram partem cœpisse aliquid definiri; non quidem quòd res, de qua disceptabatur, tanti esset ponderis, sed quòd quisque acerrimè defenderet, quam semel probasset sententiam, eámque alteri obtrudere conaretur; vt vel eo modo obtineretur aliqua tranquillitas, quæ rectiùs potuisset, opinandi, aut hoc vel illo ritu vtendi, aut non vtendi, libertate concessa, obtineri. Hæc omnia aliena esse à prima & recta Ecclesiæ gubernatione, quæ non debeat regi instar Reipub. sed tantùm instar societatis alicuius, aut collegij, vel φρατρίας, vti appellabant in Atheniensium

ſium Repub.Ex illa imitatione externi politici regiminis,natam eſſe in Eccleſia potentiam etiam externam, politicæ potiùs ſimilem, & à Tyrannica parùm alienam, ad cuius conſeruationem neceſſarium ſit, tollere de multis credendi libertatem, quæ permitti potuiſſet,ſi cõſtitiſſet illa Eccleſię gubernatio, quæ fuit primo Chriſtianæ religionis æuo, quámque ipſa officiorum, inſpectoris nimirum, ſenioris, & œconomi,ſiue diſpenſatoris,aut miniſtri appellationes, qualis fuerit,oſtendunt. Conſtitiſſent etiam reliqua tempora intra neceſſitatem credendi ea,de quibus Apoſtoli tam ſollicitè conuenerant;ſtatuendum enim eſſe, aut neſciuiſſe Apoſtolos, cùm diſceſſuri in varias Prouincias,in Symbolum illud conuenirent, quid deinde euenturum erat in Eccleſia, quod rationi non videatur conſentaneum, aut verò eos iudicaſſe, illa, quæ ſanxerant, rectè accepta & intellecta ſufficere.

PRÆCLVDITVR.

I. **QVòd Apoſtoli ante diſceſſum,Symbolum fidei condiderint, quod iam in Eccleſia, ſub eorum nomine venit, à nemine, qui Catholicus ſit, negari poteſt; itémque eſſe veluti ſummam eorum articulorum,ad quos reliqui facilè referri queunt. Sed profectò, vt iam ſuprà liberè dixi, idem vobis & nobis Symbolum non eſt, cùm idem non ſit Symboli ſenſus. Quod additis, alios ritus & opiniones diuerſiſſimas fuiſſe, de ritibus,**

cære-

cæremoniis, vt vocant, seu formulis, adhiberi solitis, tum in Sacramentorum vsu, tum in Liturgiis; diuersitatem illam facilè concesserim: itémque in ieiuniis, & nonnullis festis; nam in diem Dominicum omnes consenserunt. At omnibus eadem Sacramenta fuerunt; omnibus idem sacrificium incruentum; eadem synaxis; eadem exhomologesis; eadem Ecclesia; eadem fidei regula; eadem fides; nec enim illa fuit opinionum diuersitas in rebus ad fidem pertinentibus; immò nec esse poterat, cùm singuli Apostoli eâdem infallibilitatis, vt vocant, prærogatiuâ pollerent. Hinc ad sanctam Sedem recurrere necessarium illis non fuit, cùm in iis, de quibus erroris metu consuluissent, errare ipsi non possent.

II. Porro, quòd illi errores, quibus deinde illæ nationes, quibus Euangelium Apostoli prædicârant, infectæ fuerunt, ab iisdem Apostolis originem duxerint, sine maxima impietate dici nequit. Appellate, quæso, aliquam nationem, quæ diuersam à Romana fidem deinde professa fuerit, & statim nullo negotio palàm fiet, errores, quibus laborauit, vel ab Ario, vel à Nestorio, vel à Dioscoro, vel à Macedonio, vel ab Eutychete, vel à Pelagio; aut si ad posteriora tempora descendimus, à Luthero, Caluino, aliísque eiusdem farinæ hominibus profectos esse. Nota sunt hæreticorum incunabula; nec tam ignari sumus antiquitatis, vt nesciamus Apostolorum etiam temporibus, hæreses fuisse. Neque hîc agitur de simplicium rituum vsu ac diuersitate; quis enim nescit,

nescit, facilè illam ab Ecclesia Romana permitti, vt in Græcis videre est, cum sancta Sede coniunctis. Immò in diuersis Ecclesiis, apud Latinos, diuersi sunt ritus in rerum sacrarum administratione & vsu; modò salua sit diuinæ legis ac fidei substantia: in aliis, quæ ad ritus pertinent, prædictam varietatem, antiquitate scilicet firmatam, Ecclesia Romana facilè tolerat; quæ tamen illam, quam vultis, opinionum diuersitatem in re fidei, seu doctrinæ nunquam tolerauit.

III. Christianum nomen iis omnibus, qui Christum agnoscunt, commune est; Catholicum tamen iis duntaxat competit, qui ab Ecclesia Catholica, Romana scilicet, non desciuerunt. Quòd verò improbatis, Ecclesiam regi ad instar Reip. vel Monarchiæ, animum vestrum manifestè prodit, vtpote Anarchię addictum. Oues Christi sine pastore, à quo regantur, esse non possunt; & Petrus, cuius fidei creditæ fuerunt, summi Pastoris vices gerit. Corpus capitis expers, inanis truncus est: caput Ecclesiæ est Christus; Petrus Vicarius Christi. Militum, seu castrorum acies duce carere non debuit: neque nauis Ecclesiæ nauarrcho. Præsides igitur esse oportuit, supremo Præsidi, scilicet Petro, eiúsque successoribus subditos, & ab eo destinatos. Quis nescit, à Petro, aliísque Romanis Pontificibus, immò & cæteris Apostolis ex singulari priuilegio à Christo ipsis concesso, Episcopos variis Ecclesiis destinatos & institutos fuisse? de Timotheo, Tito, Marco, Ignatio, & multis aliis, constans & publica vox est.

IV. Quod

IV. Quod spectat ad dissensiones ortas, in re scilicet doctrinæ, minùs probare videmini, quòd conuocatis Conciliis extinctæ fuerint, ac res definitæ; quod sanè rationi consentaneum esse videtur: quasi verò si quis erret, emendandus non sit. Sunt, qui asserant, Filium Patre minorem esse, etiam vt Deus est; alij Christum verum hominem non fuisse; quidam vnam tantùm habuisse voluntatem, & operationem; nonnulli filium Ioseph esse dixerunt, ac proinde ex Virgine minimè natum; alij Spiritum sanctum ex Filio procedere negarunt. Fuerunt, qui duo rerum principia ponerent, & fatum inducerent; nonnulli, reiectâ Christi gratiâ, naturæ plus æquo tribuerunt; alij demum in ipso Sacramentorum vsu errarunt: Vos demum in multis erratis, vt suprà sincerè monui. Ecclesia sine macula, sine ruga, huiusmodi errores ferre non potuit, nec debuit; ac proinde Spiritûs sancti ductu, sua fudit oracula, pronuntiauit effata, decreta tulit, canones condidit; vnam fidem, vnam legem, vnam duntaxat religionem esse posse sciebat, eósque in fidei societatem admittere noluit, qui diuersam fidem haberent.

V. Non agitur, mihi credite, de festis, de ieiuniis, de ciborum delectu, de aliis præceptis Ecclesiasticis: fidei quæstio est, non modò in Sacramentis, in libero arbitrio, sed in ipsa fidei regula, sine qua vera fides stare non potest. In ipso iudice controuersiarum, in re fidei, nos Ecclesiam vt parentem agnoscimus, ac Romanum Pontificem Eccle-

fiæ caput, ac eius esse credimus, regere populum Christianum, & gregem Dominicum pascere, eiúsque legibus ac præceptis obtemperandum, in re scilicet religionis. Quòd iis non obtemperetis, Hæretici non estis; cùm etiam multi Catholici Ecclesiasticas leges violent, nec propterea hæretici censeantur. Quòd tamen iis obtemperandum non esse, temerè dicatis, & obstinatè adstruatis, & nullam imperandi potestatem, nullum primatum à Christo Petrum, eiúsque successores accepisse, vel hoc nomine, quamuis alia deessent, vos pro hæreticis habendos esse censemus.

VI. Hinc haud dubiè tranquillitati publicæ Ecclesia optimè consuluit, dum lites in re fidei subortas definiuit, ac contumaces anathemate percussit; quanta enim perturbatio ex tanta dogmatum varietate sequeretur; vera profectò Babylon esset Ecclesia, nisi hanc confusionem vitasset Neque tyrannis est, vt temerè dicitis; quasi verò vlla societas esse valeat, sine aliqua iudiciorum forma, sine præfectis & magistratu; quasi verò Episcopus vigilem pastorem, seu custodem non sonet; & centies pastoris, ac præpositi nomina in sacris codicibus non legantur. Quælibet priuata Ecclesia suos etiam Diaconos, seu ministros habet, rerum scilicet sacrarum administrationi addictos: sed quid tum? an fortè isti pasci non debent, regi, doceri, corrigi? quis porro eos pascet aut reget, nisi superior? Societas, inquies; sed hæc ab illis pascitur; an fortè ouicula pastoris munere erga pastorem defungitur?

Præ-

Præterea in Ecclesia Romana Petri successores nunquam interrupta serie præfuerunt, quorum auctoritate, alij Episcopi instituti, positi, depositi, missi, correcti, moniti, controuersiæ fidei discussæ ac terminatæ; œcumenica concilia coacta; errores damnati; hæretici reiecti; tota res sacra administrata. Hinc Hierarchiam, non Φρατρίαν in Ecclesia agnoscere deberetis, nec Apostolis errores vestros tribuere, qui erroris omnis expertes fuerunt. Quod demum subnectitis in extremo dilemmate, dictu ridiculum esse, ac proinde rationi minimè consentaneum, Apostolos nesciuisse, quid deinde euenturum esset in Ecclesia; friuolum est: quo enim argumento, quo textu probabitis, nihil, quod in Ecclesia futurum esset, Apostolos latuisse; Paulus quid sibi Hierosolymis euenturum erat, ab alio Propheta didicit. Sed quid in his hæreo; præterquàm quòd, esto, demus hoc, futura omnia sciuisse; quid, quæso, aliud agere potuerunt; rectam & sanam fidem prædicarunt, ac Gentes veram Christi docuêre legem; quòd deinde errores irrepserint, quos etiam ipsi fortè præuiderant, an fortè illis imputandum, ac vitio vertendum? Hoc argumenti genere, contra Christum & Deum, qui omnia futura præuident, vti quis posset. Sed hæc mittamus, quæ leuia sunt.

EFFVGIVM IX.

Ducitur ex schismate orto in Ecclesia Corinthiaca.

EXemplo esse Ecclesiam Corinthiacam, quæ etsi aliàs vnum sentiret, in confitenda vera Christi diuinitate, ex infirmitate tamen humana, scissa fuerit in varias factiones; ita vt alius diceret, ego sum Pauli; ego Apollo; ego verò Cephæ; alius verò se Christum sequi profiteretur. Grauiter quidem monet Apostolus Corinthios, ne patiantur discerpi Ecclesiam tot contentionibus; hortatur, respiciant, in cuius nomine sint baptizati; quis pro ipsis crucifixus. Neque dubium est, quin Christiani omnes operam dare debeant, vt sopiantur contentiones, si quæ oriuntur in Ecclesia, & aboleantur illa factionum nomina, cùm alius se Pontificis, alius se Patriarchæ Constantinopolitani, Lutheri alius, alius Caluini se dicit esse; hoc enim, exemplo Pauli, faciendum esse: huc facere tot exhortationes nostri Seruatoris ad vnitatem conseruandam.

Negant charitatis Christianæ esse, prorumpere continuò in Anathemata, & probrosas condemnationes, Quamquam ita esset comparatum cum Ecclesia Corinthiaca, quamquam tot in ea essent schismata, Apostolum tamen, non tantùm eos appellare fratres, sed ita statim affari initio Epistolæ. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini*

mini nostri Iesu Christi, &c. Nec verò hac tantùm labe infectam fuisse Ecclesiam Corinthiacam; aliam grauiorem ei adhæsisse, ob peruersam mortis Dominicæ commemorationem, propter quam tamen Apostolus eos non protinus Sathanæ tradiderit, vti hodie indubiè inuicem facturi sint Christiani, si quid simile hoc tempore fieret. Neque breui tantùm tempore perdurasse contentiones illas, & schismata Ecclesiæ Corinthiacæ; iam sublato è viuis Apostolo, nondum tamen fuisse sopita; atque ideo in eandem sententiam scripsisse ad eos Clementem Romanum Episcopum, vti veteres testantur, & hodie ex ipsa Clementis Epistola nuper iterum recepta & edita constat.

PRÆCLVDITVR.

I. EXemplo sit, vt vultis, Ecclesia Corinthiaca, in qua nonnulli, contentionis studio abrepti, varias factiones induxerant, quasi de magistrorum gloria & præstantia superbientes. Erant, qui Paulo, alij Apollo magistro gloriabantur; quos alij vt compescerent, & à factionis studio auocarent, nec Paulum, nec Apollo supremum Ecclesiæ præsidem, sed Cepham agnoscendum esse censebant; vel potiùs Christum ipsum, in cuius nomine sacro lauacro tincti fuerant. In his porro contentionibus, de re fidei minimè agebatur, vt perspicuum est; sed de doctioris, aut eloquentioris magistri prærogatiuâ, & verò sanam doctrinam Apollo docebat, vt patet,

II. Sed profectò causa vestra dissimilis est; nec enim doctrinæ præstantia, vel præcellens eruditio nostras controuersias facit; de re fidei agitur, ac de multis erroribus, iisque palmaribus, quibus impliciti estis, quósque Ecclesia nec tolerare, nec dissimulare potest. Si quid aliunde vitij & labis mores corrupit ac deprauauit, quod ad fidem non pertineat, non propterea optima parens Ecclesia ab eiusdem fidei societate excludit. Monet quidem delinquentes filios, corripit, adhibétque remedia, vt ad meliorem frugem reducat, & vitiatas oues in pristinam sanitatem restituat: at vbi erratur in fide, atque adeò ipsum religionis nostræ fundamentum destruitur, illa haud dubiè, aduersùs quam Portæ inferi præualere non possunt, cum errantibus, præsertim contumacibus & obstinatis, nullam fœderis vel communionis societatem habere potest; vbi enim diuersa est fides, diuersa lex, diuersa religio, diuersa Ecclesia est, vt ex præmissis Datis & Prop. manifestè constat.

III. Nec piæ cohortationes defuerunt, quibus Maiores vestros, vel in officio continere, vel postquã ab eo defecerant, ad resipiscentiã inducere, Ecclesia Romana materno sanè affectu enixa est. Extant adhuc Romanorũ Pontificũ, Leonis, Clementis, Adriani, Pauli, aliorúmque Epistolæ, quibus vos non modò ad saniorem mentem, verùm etiam ad concilium œcumenicum inuitarunt. Quot, amabò, Apostolici nuntij, quot legati, ad eum finem destinati, quæ verborum suauitas, amoris & charitatis lenitas,

quot

quot officia erga proceres vestros, quot præmia proposita? Quid prætermissum, quid omissum ab Ecclesia Romana, vt vos ad deserta religionis castra reuocaret? nullis reuerà sumptibus, nullis laboribus, industriæ nulli pepercit, vt saluti vestræ consuleret. Atque adeò ausim dicere, Romanum Pontificem optimi Pastoris munere probè defunctum fuisse, vtpote qui sanas oues quasi reliquerit, vt errantem in deserto quæreret, cámque in ouile reduceret; plus sexaginta annis in hoc opere desudatum est, sed pertinacia vestra charitatem nostram non fatigauit quidem, sed superauit. Faxit Deus, vt is aliquando tot tantorúmque laborum sit fructus, quem speramus, quem optamus, quem votis omnibus, non sine lacrymis, quotidie à Deo exposcimus.

IV. Quòd Apostolus honorificâ illâ verborum & scriptionis formulâ Corinthios compellet, quid mirum? maior enim & melior illius Ecclesiæ pars huiusmodi contentionum & factionum expers erat, vt optimè sancti Patres obseruarunt; præterquàm quòd contentiones illæ ad fidem nullatenus pertinebant; nec enim errores illos Apostolus dissimulasset, qui longè minora vitia castigabat; sed charitati duntaxat aduersabantur: sic olim inter Apostolos orta contentio est, quis eorum maior esse videretur. Et verò si quid atrocius fuisset, longè acrius remedium vir diuini zeli ardore accensus adhibuisset; sic incestum illum, in eadem Epistola, Sathanæ tradidit, vel tradi iussit. Nec erat, quòd Erasmus & alij suspectæ fidei homines, huiusmodi

Corinthiorum schismata cum variis religionum instititutis, vel scholarũ sectis compararent; hæc enim charitatis leges minimè violant; & illa varietas esse potest, licèt nullum ambitioni det locum, quæ sanè Corinthios in prædictas factiones agebat.

V. Cæterùm quandoquidem hanc Pauli Epistolam adducitis; nonnulla ex ea vobis accipienda essent, quæ ad castigandos errores vestros, non parùm conferre possent. Ibi enim primo loco consilium Euangelicum de virginitate, quod tantoperè fugitis, expressum habetis; *De virginibus*, inquit cap. 7. *præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Ex quo reuerà loco, cum omnibus Patribus, necessaria consecutione deduco, cœlibatum esse in nostra potestate, modò illum à Deo petamus, & diuinæ gratiæ subsidio vti velimus; nempe inutile, immò ridiculum & absurdum de re impossibili consilium esset; Qui te hortatur, vt voueas, inquit Augustin. in Psal. 137. ipse adiuuat, vt reddas. Præterea habetis, quòd Apostolis & pastoribus Dominici gregis diuina mysteria Deus reuelat per spiritum suum, cuius ductu Ecclesia regitur; quòd iidem Dei adiutores sint, & dispensatores mysteriorum. Deinde potestatem & iurisdictionem Ecclesiasticam habetis, cap. 4. in virga illa, cuius Apostolus vltimo vers. meminit; & cap. 5. in sententia excommunicationis cõtra incestum lata: habetis etiam cap. 7. Matrimonium ex Dei præcepto indissolubile, c. 10. & 11. realem Christi præsentiam in Eucharistiæ Sacramento, itémque traditiones Ecclesiasticas, c. 11,

vnita-

vnitatem Ecclesiæ sub vno capite: omitto alia, quæ ad refellendos errores vestros non parùm conferunt.

VI. Porro quòd hic sit Lutheri, vel Caluini, parùm interest; nec magnum affert differentia lucrū; cùm tam hic, quàm ille erroribus implicitus sit. At quòd sit Pontificis Romani, vel Caluini, diuersum quid est à prædicta Corinthiorum contentione, quâ vnus Pauli, alter Apollo se esse dicebat; nempe eadem erat Pauli & Apollo fides; at Pontificis, Lutheri, seu Caluini, vel Patriarchæ schismatici, diuersa omnino est fides, vt patet ex dictis. Par igitur similisque ratio non est; præfatæ contentiones ambitionis erant, nostræ verò religionis & fidei. Frustra igitur vnitatem charitatis desideratis, vbi fidei ac religionis vnitas non est; quamquam in visceribus Christi vos diligimus, ac vobis meliora consilia precamur. Quòd fratres Corinthios Paulus vocet, quid tum? vtpote eiusdem matris, Ecclesiæ scilicet filios; vos etiam sultis, eodem nomine compellabimus; idem enim nobis Deus Pater est, & Ecclesia Parens, in qua per sacrum lauacrum Christó geniti estis; sed quam matris loco non habetis, licèt illa vos vt filios ad se inuitet. Quòd diu contentiones illæ permanserint, quid tum? quis nescit, nos homines esse vitiis obnoxios. Denique illa commemoratio mortis Dominicæ, quam verbo indicatis, sacra synaxis est, quam Agape præcedebat, in qua cùm ipsi Corinthij intemperantiùs se gererent, & minus, quàm par esset aduersùs inopes,

charitatis præferrent, ac proinde ad S. synaxim imparatiores accederent, eosdem acriter corripit; nullus autem hîc error in fide, sed in moribus; hinc haud dubiè ex hoc eodem capite, non nostri, sed vestri errores confutantur.

EFFVGIVM X.

Ducitur ex simultate ac dissensione Petrum inter & Paulum.

PAulo ipsimet, inquiunt, cum Petro non conuenisse; non quidem quòd Paulus existimaret, omnem omnino obseruationem cæremoniarum legalium abiiciendam esse, siue illæ ex Iudæis essent, siue ex Gentibus; vtpote cùm ipse se eis subiiceret, & omnibus factus omnia esset: sed quòd in gratiam Gentis suæ, Petrus earum necessitatem Gentibus imponere vellet. Eorum igitur exemplo disci, non omnem protinus contentionem scindere Ecclesiam, dummodò pars altera rem, de qua contenditur, non vrgeat tanquam necessariam. Parem videri S. Petri & Ecclesiæ Romanæ causam esse hodie: multa esse in ea, quæ si liberæ tantùm sint obseruationis, permitti possint; nunc autem probari nequeant, quia sub necessitate omnibus præcipiuntur. Id sæpius à protestantibus fuisse inculcatum; perinde quoque Petri Apostoli sententiam maximè, vt tunc erant tempora, multis visam esse salutarem; aliter verò iudicasse Paulum, post-

quam

quam necessariam cæremoniarum Iudaicarum obseruationem S. Petro probari intellexerit. Horum igitur Apostolorum exemplum imitandum esse, qui etiam, quid fieri deberet à subsequentibus, ostenderint; cùm propter infirmitatem Gentibus præceperunt, vt à quibusdam, quæ haud difficulter seruari poterant, in eorum gratiam abstinerent; deinde desituri, si ratio, quæ eos moueret, cessasset. Ita etiam Ecclesiam Romanam in gratiam protestantium, quos verè fratres infirmos appellare possint, debere aliqua mutare in melius, aut verò liberum eorum vsum cuique permittere, quæ scilicet eos maximè offendunt, eorúmque communionem impediunt, vti Iudæorum coalitionem cum Gentibus Idolothyti sanguinis & suffocati esus impedierit. Hoc verò cùm Romani non faciant, ipsis esse imputandum, quòd nullus adhuc schismatis finis prospiciatur; reddituros aliquando illos iusto iudici rationem tam obstinati animi: non tamen esse desperandum, quin Deus Opt. Max. pro infinita sua misericordia, imbecillitati humanæ etiam hanc culpam sit condonaturus.

PRÆCLVDITVR.

I. DE leui illa, quæ Petrum inter & Paulum intercessit, dissensione, quæ ad rem non facit, non disputo; quorum alter innocenti ac bono animo, alter bono zelo agebatur. Vtrùm alter peccauerit, vel vterque, vel potiùs neuter,

ter, liberum cuique, quod libuerit, sentiendum relinquo, ne saltem extra chorum. Vnum duntaxat reponendum esse arbitror; scilicet, controuersiam illam de re fidei non fuisse, vt perspicuum est; nec Petrum vnquam iudicasse necessariam huiusmodi cæremoniarum obseruationem; si enim ita iudicasset & statuisset, vt supremus controuersiarum iudex erat, ita res definita fuisset, & Paulus nihil antiquius habuisset, quàm vt sententiæ acquiesceret, & captiuaret intellectum in obsequium fidei. Petrus igitur, licèt prædictam obseruationem minimè iudicaret necessariam, ac reuerà sciret, habita ratione Gentium, minùs expedire; in gratiam tamen suorum, aliquid tolerandum esse putabat, & patriis legibus, quæ tam altas radices in Iudæorum animis egerant, aliquid concedendum. Paulus verò hanc indulgentiam & tolerantiam minimè probabat, ac ingenuè mentem suam ipsi Petro aperuit, qui deinde coacto Hierosolymis Concilio, prædictam controuersiam terminauit.

II. Sed nostrarum controuersiarum par ratio non est, in quibus agitur de re fidei, ac præcipuis religionis Christianæ dogmatis; equidem nonnulla sunt præcepta Ecclesiastica, quæ mutari possent; v.g. vsus calicis concedi, permitti sacerdotum coniugia, cuique libera relinqui statuta ieiunia, aliáque id genus, quæ institutionis diuinæ non sunt. Sed hic profectò non est nostrarum controuersiarum cardo; demus enim, Ecclesiam hæc mutasse, & importunis, quibus apud illam Maiores vestri institerunt,

sunt; sollicitationibus cessisse; an fortè dissensio sopita esset? an fortè id, quod dicitis, Ecclesia vnquam probare queat, hæc & alia similia non posse ab illa vetari, iuberi, præscribi? Quòd imperium detrectetis, graue quidem delictum est, non tamen pro hæresi habendum; quòd verò imperandi & clauium potestatem negetis, in hoc reuerà hæretici estis; nec Ecclesia, ne vestri erroris particeps sit, id vnquam probabit. Et hic est nostræ difficultatis cardo; parum esset, nonnulla præcepta Ecclesiastica mutare, aut saltem vos ab iis eximere; sed errores vestros fouere, Petri primatum abolere, vicariam Christi auctoritatem è medio tollere; hæc sunt, quæ ab Ecclesia Romana, quæ omnis erroris immunis est, nunquam expectare debetis.

III. Itaque nunquam ab exemplo beatissimorum Apostolorum recedemus; vobis semper & humanitatem Petri, & Pauli zelum exhibebimus; ea tamen lege, vt errores vestros eiuretis, qui certè cum vera fide nullum fœdus, nullam societatem inire queunt. Depositis autem erroribus, & admissa Romanæ Ecclesiæ potestate statuendi de rebus Ecclesiasticis, de sacris ritibus, festis, ieiuniis, Sacramentorum formulis, iudicandi, soluendi, ligandi, &c. an fortè putatis, Ecclesiam adeò vobis immitem & acerbam fore, vt si vos aliqua ratio à quibusdam præceptis Ecclesiasticis eximi postulet, vestris votis illico morem non gerat? an fortè suas illa vobis non aperiet manus, quæ iam sinum & viscera vobis aperuit? vinculis non exsoluet, quæ coro-

nas

nas vobis & diademata contexuit? Vnum certè au-sim dicere, si aliquando accidat, vt ad optimæ Parentis gremium reuertamini, fore, vt huiusmodi exemptiones vobis vltrò oblatas sponte recusetis. Dicam, quod res est; neminem vidi ex iis, qui à vestris partibus ad nostras transierunt, quibus iisdem subiici legibus, gratum non acciderit, quibus alij subiiciuntur; probate, sultis; idémque in vobis periculum facietis.

IV. Quòd dicitis, præcepta Ecclesiastica exemplo primitiuæ Ecclesiæ in pauca reducenda esse, ratione caret; nempe tam pauca esse video, præsertim pro solutis hominibus, vt vix alia sit religio, quæ pauciora & faciliora suis præscripserit. Præceptum annuæ confessionis & communionis ad rem prorsus necessariam nos adstringit: Ieiuniorum Ecclesiasticorum leges adeò mites sunt, vt vix inde caro maceretur: Quisquis die Dominico rei sacræ vix sanè mediam horam recusaret, ille haud dubiè illum diem diuino cultui non tribueret: Res decimarum iam ferè in ius politicum abiit, & in censum, vt vocant. De vsu calicis quid, amabò, solliciti estis, cùm maxima vestrûm pars realem præsentiam non agnoscat; præterquàm quòd vel inde præceptum contrahitur, ac restringitur. Sacerdotum coniugia quid ad vos, qui laici estis? deinde nemo ad id muneris vi adigitur, sed sponte accedens, si dignus sit, initiatur, iis tamen legibus, quas vltrò admittit. Monachi non placent; quis, amabò, vos cogit ad monasticum institutum amplectendum? Imagi-

nes abhorretis, imaginosi cerebri vitium est, quod pace vestra dixerim; quid rei sit, probè scitis; sed studio contentionis ducti, idola exprobratis: ita imagines adoramus, vt si charitas postulet, & scandalum absit, cruces ligneas ad fouendum ægrum, comburere parati simus.

V. Itaque, vt ingenuè fatear, quid mollius, quid minus, quid facilius ab Ecclesia statui ac præscribi possit, non video; equidem ius Pontificium amplissimum & multiplex est, quod fortè tantulum contrahi, operæ pretium esset, sed illud pęnè totum in Clericos & Ecclesiasticos cadit, Laicos vix tangit. Quid si longè plura Turcarum lex suis subditis imponit; quid si aliquid quodammodò grauius vobis incumbit; quid si nulla respublica, nulla ciuitas, nulla hominum societas est, quæ pluribus & grauioribus legibus non subiaceat. O vtinam vel apice vno ea indicassetis, quæ mutari, seu molliri ab Ecclesia Romana postulatis. Declamatis contra Pontificum ambitionem, Cardinalium fastum, Sacerdotum libidinem; sed hæc, quæso, quid ad vos? an forte hæc vobis imputantur? an culpæ, seu vitio vertuntur? præterquàm quòd vocis ac nominis abusum adhibetis; nempe augustam maiestatem, pro ambitione; decorum dignitatis, pro fastu; & frequentes calumnias, pro veris criminibus traducitis. Vestra igitur culpa est, non nostra, quòd in vestris erroribus obstinatè sordescatis; nec vllam obstinati erga vos animi rationem supremo iudici reddere verebimur: dolemus tamen, quòd spem sine vera

fide

fide nutriatis, quæ rerum sperandarum substantia est. Videte, ne vera spes non sit, sed mera præsumptio; nam vt sincerè dicam, eò statu non sunt res vestræ, vt quidquam, nisi reiectis erroribus, iure sperare debeatis.

EFFVGIVM XI.

Ducitur ex eo, quòd Ecclesia non possit ea, quæ Christus libera esse voluit, vt necessaria proponere.

ALiàs, inquiunt, si rectè rem omnem consideres, non posse Ecclesiam ea, quæ Seruator noster, à cuius prima institutione id omne dependeat, libera esse voluit, deinceps ita proponere, ac si omnino creditu & obseruatu necessaria essent. Non esse hanc potestatem Ecclesiæ à Deo relictam; nihilominus tamen maximam partem controuersiarum, quæ hodie tam acriter Ecclesiam diuidunt, circa talia versari. An autem libertas circa aliquid agendum, credendúmue relicta sit, duplici modo probari posse; vel cùm ex sacris Scripturis, & veteris Ecclesiæ obseruatione illa libertas apertè ostendi possit; vel si constet, illud, quod hodie in Ecclesia necessariò agendum credendúmque proponitur, vno vel altero sæculo neque factum, neque creditum fuisse. Sic cùm duobus primis sæculis, imagines nullę in Ecclesia fuisse videantur, non posse quemquam ad vsum, multò minùs

tò minùs ad venerationem earum adigi, adeóque liberum esse debere, quidquid circa illas fiat.

Quamquam autem ab vtraque parte hîc grauiter peccatur, tum ab illa, quæ velut necessarium aliquid proponit, cùm liberum esse debeat; tum etiam ab altera, quæ maiore animi feruore reluctatur, quàm fas erat, cùm vtrique parti semper ob oculos versari deberet vnitas Ecclesiæ, propter quam obtinendam, animi moderationi sit studendum. Quia tamen hîc, error nullus propriè circa fidem versatur, ideo etiam neminem propterea à Deo punitum iri, sed tantùm propter animi obstinationem, & præceps odium, cuius grauitas ex variis circumstantiis iudicari debeat. Iam verò animi illa vitia ita esse comparata, vt propterea nemo extra vnitatem Ecclesiæ, quæ intra se bonos & malos habet, collocetur; pari igitur ratione, neque cœtum integrum, qui eodem vitio morali imbutus sit, vnitatis Ecclesiæ exsortem esse. Quamquam igitur vnaquæque illarum partium præcipiti zelo, aut inconsiderato potiùs odio adducta, sibi soli veræ & Catholicæ Ecclesiæ nomen adsciscat, posse tamen vel hanc solam ob causam statui, nulli illarum Ecclesiæ Catholicæ appellationem debere denegari, sed eam ex illis velut partibus integrantibus constitui.

Ab illa animi mansuetudine & moderatione laudata in Apostolis non discessisse, qui proximè eos fuêre subsequuti; longè certè maiorem fuisse penes Ecclesiam orthodoxam & antiquam, quàm nunc videamus. Quamquam qui tunc erant secta-

rij, & fide & moribus essent pessimi, productáque alia propemodùm religione, quàm Christiana erat, & nouis confictis libris sacris, sua sponte altare contra altare erigerent: nihilominus tamen Iustinum martyrem de iis ipsis, quíque diuinitatem nostri Seruatoris expugnabant, modestissimè esse loquutum; Nouatianos verò in Concilio Nicæno etiam pro Catholicis stetisse contra Arianos, & plurimùm fuisse laudatos.

PRÆCLVDITVR.

I. DEmus, quæso, Seruatorem voluisse, cuncta libera esse, hoc vno duntaxat excepto, quòd scilicet Ecclesiæ parendum esset, quam quisquis profectò non audierit, Ethnici & Publicani loco habendus est; si deinde illa aliquid fieri iubeat, aut credendum proponat, an fortè detrectanda imperia, & fides neganda? Quasi verò Christus voluerit, vt oues sui gregis, pastorum à se relictorum vocem non audirent, mandatísque non obtemperarent? obediendum præpositis nostris esse, conceptis verbis Paulus monet; qui porro sunt præpositi nostri, nisi qui à Deo constituti sunt, vt regant Ecclesiam Dei? An fortè Christus Vicarium suum sine iurisdictione, vt vocant, esse voluit, quam vel minimus regulus suis magistratibus atque administris concedit? An caput visibile constituit, quod tamen inferioribus membris non præesset? Si caput est, ratio est, quæ dirigit, voluntas, quæ statuit,

tuit, os & lingua, quæ voluntatis imperia promulgant. Hinc fortè, vt monent Patres, D. Petro dictum, macta & manduca, quòd scilicet os & caput Ecclesiæ esset.

II. Præterea hæc mihi omnino repugnantia videntur; statis enim, vt fatemini vltrò, quatuor primis conciliis œcumenicis, in quibus haud dubiè multa fidelibus, tum facienda, tum credenda præscribuntur; præceptum, opinor, Apostolicum fuit, vt primi illi Christiani ab Idolothytis, suffocatis & sanguine abstinerent; quis autem prima illa Ecclesiæ capita eâ imperij potestate, quam ipsi adhiberent, caruisse dicat? Porro Christus hæc libera reliquerat; alioqui nos hac eâdem lege teneremur. Vnde, ni fallor, necessaria consequutione deduco, Christum Ecclesiæ potestatem fecisse, non modò pascendi Dominicum gregem atque regendi, verùm etiam imperandi, vetandi, iudicandi, plectendi; atque adeò perfectam & supremam Iurisdictionem eidem reliquisse, vt constat ex Dato XVII.

III. Quod verò ad credenda spectat, certum est in primis, præsentium temporum controuersias de iis esse, quæ in primitiua Ecclesia certa fide tenebantur; realis Christi præsentia in Eucharistia, Sacramentum reconciliationis, sacræ Ordinationes, extrema Vnctio, primatus Petri, hæc & alia similia, quæ vos negatis, apud fideles primitiuæ Ecclesiæ nullum dubio locum reliquerunt. Nec ea credere nobis Christus liberum reliquit, qui ea conceptis verbis enuntiauit: Dixit suum corpus & sanguinem

esse; credere igitur mihi liberum non est, qui eius dictis credere teneor. Dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. *& tibi dabo claues Regni cælorum; quidquid ligaueris super terram*, &c. *Pasce oues meas & agnos meos; Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus; Confirma in fide fratres tuos; Quorum remiseritis peccata; Prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum; Qui vos audit, me audit; Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus; Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam; Oraui pro te, Petre, ne deficiat fides tua; Omnibus diebus vobiscum sum; Spiritus, quem ego mittam vobis à Patre, docebit vos omnem veritatem.* Cuncta hæc, & innumera propemodùm alia Christus pronuntiauit, quibus fidem detrectare non licet: modo vestro explicatis & intelligitis; cuius porro est sacræ Scripturæ sensum & controuersias definire, nisi Ecclesiæ? nisi Petri? qui est os Ecclesiæ, vt suprà dictum est, & constat ex datis XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.

IV. Quòd autem hæc potestas Ecclesiæ à Christo facta sit, tum ex scripturis, tum ex traditionibus, tum ex ipso Ecclesiæ nunquam hactenus interrupto vsu, manifestum est; nulla verò libertas credendi à Christo relicta est; quasi verò credere possimus, quod volumus, aut non credere. Opinari quidem in nostra potestate positum est, non tamen credere, fide scilicet diuina; nempe non minoris vitij est, ea credere, quæ reuelata non sunt, quàm iis detrectare fidem, quæ sunt reuelata. Vnde, ni fallor, certò concludo, liberum à Christo nobis relictum non es-

se, vt nonnulla credamus ad libitum, aut non credamus. Equidem vt omnia, quæ nobis Deus reuelauit, explicitè credimus, aut saltem implicitè, vt vocant (nec enim vnum sine alio credi potest, cùm vna eadémque sit diuinæ fidei ratio) ita sæpe accidit, vt quædam cõsequentibus temporibus explicitè credamus, quæ priùs implicitè dũtaxat credebamus. Sic enim multa definit Ecclesia, & explicitè credenda fidelibus proponit, cùm habeat clauem scientiæ, vt suprà dictum est; nobis enim malè omnino consultum esset, nisi aliquem haberemus, quem in dubiis fidei & scripturarum nodis consulere possemus.

V. Hinc fieri potest, vt aliquid vno, vel altero sæculo explicitè creditum non sit, quod deinde credere teneamur, propter decisionem, definitionem & declarationem Ecclesiæ, vt perspicuum est. Quod reuerà de præceptis Ecclesiasticis potiori iure dicendum est; nempe pro diuersa temporum ratione, diuersa præceptorum ratio esse potest. Sic optimum factu fuit, in primitiua Ecclesia, abstinere ab Idolothytis, suffocatis & sanguine, quod deinde necessarium non fuit. Sic præceptum communionis sub altera duntaxat ad præsentem temporum rationem accommodatius esse videtur, quod in minore fidelium numero locum fortè non haberet; idem de aliis iudicium esto. Hinc quod adducitis de imaginum cultu, nos minimè vrget; demus enim ita fuisse, vt dicitis; quamquam Bellarminus controu. 7. suprà citatus, aperti mendacij Caluinum vestrum, in hac materia conuincit. Et verò

cùm proximè elapso sæculo, Cæmeterium Domitillæ, idque casu reseratum esset, quod certè iam à mille & trecentis annis clausum fuerat, in iis cryptis sanctę imagines repertæ sunt, sed vetustate quasi obliteratæ. Sed demus, inquam, ita fuisse, vt dicitis; quid inde? nondum temporis ratio tulerat, vt illud fidei dogma explicitè credendum ab Ecclesia proponeretur, vt deinde tulit, cùm VII. & VIII. Synodus, immò & Romana, sacrarum imaginum cultum approbarunt.

VI. Quod dicitis de parte opposita, vestra scilicet, quæ maiore animi feruore, quàm fas esset, reluctatur, ita accipimus; quis enim tantam obstinationem probaret? Quod additis, neminem proptereà à Deo punitum iri, non damus; schisma enim & hæresis, vbi præsertim accedit contumacia, grauissimis pœnis digna sunt; quantum enim scandalum est? væ autem homini illi, per quem scandalum venit. Ecclesia quidem bonos & malos complectitur, sed fideles omnes; vbi enim quis fide excidit, Ecclesia excedere censetur. Quòd Protestantes sibi arrogent veram Ecclesiam, id voce tenus fieri existimo, cùm Caluinus vltrò fateatur, se ab Ecclesia defecisse; & iam suprà ostensum est Dat. XVIII. & Prop. VII. solam Ecclesiam Romanam veram & legitimam esse; vera autem Ecclesia vnica est, per Dat. XI. & cùm erroris expers sit, vos sanè, qui erratis, admittere non potest. Neque antiqui hæretici, conuicti scilicet, in fidei societatem ab Ecclesia admissi sunt, sed damnati & proscripti; cuius rei

ius rei faciet fidem, quisquis in historia Ecclesiastica tantulum versatus est. S. Iustinum appellatis; vtinam illius iudicio stare velletis; ab illo enim præsentiam corporis Dominici discere possetis in apolog. 2. in resp. ad q.44.gentil.in dialog.cum Tryph. item inuocationem Sanctorum, tum in ead. apol. tum in Resp. ad q. 50. tum in apol. 1. ad. sen. item cultum imaginum & reliquiarum ad q. 28. 128. & in dial. cum Tryph. de libero arbitrio, vestros errores confutat in apol. 2. & 1. ad sen. & passim alibi, cœlibatum valde commendat in apol 2. Quod denique subnectitis de Nouatianis, quòd in Nicæno contra Arianos steterint, cùm nihil ad rem faciat, in multis enim Hæretici inter se dissentiunt, frustra omnino discutiendum susciperem; quamquam ibidem decretũ fuit, vt non admitterentur in societatem fidei, nisi eiuratis erroribus, veram fidei promissionem emitterent. Præterquàm quòd nec Iustinum, nec vllum vnquam ex sanctis Patribus inuenietis, qui errantes & hæreticos in fidei societatem admittendos esse sentiat; & si quis fortè ita sentiret, in eo imitandus non esset, nec eius sententiam Ecclesia approbaret; nullum etiam legitimum & œcumenicum concilium habetis, in quo hæretici, scilicet cogniti, laturi sententiam & suffragia sederint; tecti per fraudem interesse potuerunt, non tamen comperti & cogniti.

EFFVGIVM XII.

Ducitur ex eo, quòd Cypriani, Optati, & Augustini sententiæ de vnitate Ecclesiæ paulò duriores sint.

VErum quidem esse, aiunt, quòd apud Cyprianum in primis, Optatum, Augustinum, aliósque reperiantur duriores quædam sententiæ de vnitate Ecclesiæ, quorum auctoritate hodie maximè fieri videatur, vt ab vtraq; parte quàm plures perstent in illa animi duritie, ad quam ipsis illos Patres præiuisse existimauerint. Sed primò, in tanti momenti negotio, non esse vnum atque alterum Patrem imitandum; homines illos fuisse, & sæpe aliquid humani passos, sæpe fuisse affectibus abreptos, & tempori seruiisse, aut zelo nimio, quamquam pio, commotos, in tam aspera prorupisse verba, vt vel illâ vehementiâ verborum, & grauissimarum pœnarum, quas aliquando subituri essent, commemoratione, populum in officio continerent. Timuisse enim optimos Patres, ne ortis schismatibus & dissensionibus, Ecclesia, quæ Imperatorum edictis premebatur, quæque omnibus odio erat, iterum dilaberetur; neue Ethnicis, qui charitate potissimùm admirabili, quæ erat inter Christianos, & summa animi pietate alliciebantur, ad Christiana sacra suscipienda, illæ dissensiones scandalo essent, & ab iis amplectendis deterrerentur, cessante primaria ratione, quæ animos eorum permulcebat.

Iulia-

Iuliano igitur Imperatore, cùm deserta Christiana religione, totus in gentilitate prouehenda occuparetur, nihil magis in votis fuisse, neque in vlla re ita allaborasse, quàm vt suos in primis Mystas iisdem charitatis legibus obstringeret. Eo itaque tempore, si, quo tum erat loco res Christiana, consideres, faciliùs Patrum vehementiæ veniam dari posse, qui imitati fuerint Rhetores, solitos, vt obtineant, quod volunt, non semper ex animi sententia perorare ad populum, sed iis vti argumentis, quorum maximam putent vim esse futuram, ad impellendum animum. S. Augustinum verba facientem ad Donatistas, etiam vbi quàm maximè existimet, se insolentem Afrorum pertinaciam expugnaturum, fratres tamen eos appellare; quo nomine nullum Christianorum eum dignari debeat, quem non speret cohæredem Christi esse futurum. Tum etiam illos ipsos, qui horum Patrum auctoritatem sibi esse sequendam putent, ab ea tamen manifestè recedere; veterem enim sententiam ita habere, si rectè consideres, vt omnes illos, qui quoquo modo in segregatorum ab Ecclesia turba permanent, qualiscumque tandem illa sit, non posse saluos esse statuant, quantumuis optimè viuant, ingentes Eleëmosynas faciant, quin etiam martyrium pro fide Christiana subeant. Hodie autem, saltem è prudentioribus, esse neminem, qui non magnam partem protestantium, quod idem de Catholicis protestantes sentiunt, saluam fore statuant, quantumuis in suo quisque cœtu finem vitæ accipiat.

PRÆCLVDITVR.

I. NOn erat, quòd præfatos auctores duntaxat appellaretis; cùm innumeri ferè alij reperiri possint, qui non minore vehementia & zelo contra hæreticos scripserunt: Vbi enim Basilius contra Eunomium? Hieronymus contra Iouinianum & Vigilantium? Hilarius & Athanasius contra Arianos? &c. Vnum ferè sub aspectum plurimos verborum aculeos, quibus sancti Patres hæreticos perstrinxerunt, adduxit Theophilus Raynaudus in eo libro, quem inscripsit de iusta & iniusta librorum confixione; ibi legere poteritis insignia laudum nomina, & illustres appellationes, quibus viri alioquin humanissimi huiusmodi homines ab Ecclesia desciscentes cumularunt. Quòd autem tam frequentem illustrémque sanctorum Patrum manipulum in hoc agendi & scribendi modo peccasse dicatis, nemini sanè, qui sit Catholicus, persuadebitis. Nihil in hoc, mihi credite, humani passi sunt, nullis affectibus immoderatis abrepti, tempori seruierunt; verarum, non fictarum pœnarum commemoratione populum in officio continebant. Et religioni ducerem, id fraudis genus viris doctrinâ & sanctimoniâ clarissimis affingere; quòd scilicet aniles fabulas, falsa dogmata, fictitias pœnas, ad terrorem, de sacro pulpito suis populis prædicarent.

II. Nec vllo modo edictis Imperatorum premeban-

bantur. Augustinus, Fulgentius, Hieronymus, Iulianum timere non poterant, iam à multis annis vitâ functum, antequam ipsi scriberent. Cyprianus eum non timuit, vtpote qui nondum clauum imperij teneret, cùm iam ille pro Christo, cum sanguine vitam gloriosissimè profudisset. Nec fides nostra, post Constantini tempora, omnibus, vt dicitis, odio erat, quo tamen tempore clarissima illa Ecclesiæ lumina fulserunt. De summa Christianorum charitate & animorum consensione, nemo vobis dissentiet, quamquam nullum fuit sæculum, quod suas hæreses & dissensiones inter Christianos non pepererit. Chronologos consulite, & rem ita esse comperietis; pro viribus quidem optimi Pastores enitebantur, vt à grege suo lupos arcerent, vt suos omnes in officio & fidei vnitate continerent, vt demum hæreticos refellerent; sed quòd Rhetores illos imitati sint, qui ad populum perorarent, non quidem ex animi sententia, sed fictis argumentis & narrationibus, dici reuerà non potest, sine crimine grauissimi huius vitij labes iis aspergi nequit, de sanctissimis & doctissimis Patribus honorificentiùs & modestiùs scribendum esset: sed hoc loco censorem non ago

III Augustinus contra Pelagium & Iulianum, qui Afri non erant, acerrimè pugnauit: & licèt contra Donatistas agens eos fratres appellârit, quid ad rem faciat, non video; hæc enim, si quid video, sunt repugnantia. Si fratres appellat, eosdem Christi cohæredes fore non dubitat; eos tamen vt hæreticos

inse-

insectatur, ab Ecclesiæ communione segregatos; sed extra Ecclesiam non est salus, vt idem passim Augustinus cum aliis testatur. Hæc sunt, ni fallor, repugnantia; sed vt iam suprà monui, hæretici sunt quidem Ecclesiæ filij, quos scilicet per sacrum lauacrum Christo genuit (de iis enim loquor, quibus saltem illud Sacramentum cōmune est) sed cùm ab optima parente desciuerint, hæreditario iure priuantur. Fratres igitur nostri estis, sed exhæredes, culpâ vestrâ facti; deinde fratres nostri estis, ab eodem scilicet Deo conditi, quem reuerà communi Patris nomine, iubente Christo, inuocamus. Quid mirum ergo, si Augustinus Donatistas, fratres appellârit, licèt cohæredes Christi futuros esse minimè crediderit; sed ne quid dissimulem, hæc sunt futilia & plusquàm friuola.

IV. Frustra nos cum Patribus committere tentatis; nec enim diuersa sentimus ab ipsis, quòd rectè profectò considerauimus; nullum enim Patres inter appellare potestis, qui dicat, ignorantiam inculpatam non excusare. Illorum igitur sententia ita habet, vt omnes illos, qui suâ culpâ ab Ecclesia segregati sunt, saluari non posse statuant; quidquid aliunde accedat: nempe quisquis suâ culpâ errat, vel hoc solùm nomine, dignus pœnâ est, quantumuis in aliis optimè se gerat. Prætereà cùm Patres illi paucos esse scirent, qui optimam vitam cum inculpato errore coniungerent, illud fieri statuerunt, quod vt plurimùm fieri constaret. Quod de martyrio subnectitis, friuolum est; nec enim verum martyrium

tyrium est, vbi veræ fidei testimonium desideratur; quisquis autem vera fide caret, veram fidem testificari non potest. Porro quandoquidem ad Patres confugitis, nullo sanè negotio supra centum recensere possem, quorum selectis locis vnitas Ecclesiæ & Primatus Petri confirmantur; consulite, sultis, auctores nostros, qui strenuè hac in parte se gesserunt, Bellarminum scilicet, Valentiam, Becanum, Suarem, Gualterium, aliósque innumeros.

V. Quòd dicitis, neminem è prudentioribus esse, qui non magnam partem Protestantium saluam fore statuat, nullum ex nostris noui, qui hoc sentiat; vix magnam partem nostrorum saluam fore putamus, licèt hi veram habeant fidem, iísque polleant Sacramentorum præsidiis, quæ ad salutem valde conducunt; multi enim sunt vocati, scilicet ad fidem & gloriam, pauci verò electi. Dicam, quod res est, vix vnum ex multis, ignorantia inuincibili scilicet excusante, extra Ecclesiam saluari arbitror; vel enim error, quo tenetur, inculpatus non est, ac proinde errantem non excusat; aut si fortè inculpatus est, quod raro accidit, alia peccata non desunt, quæ à salute penitus excludant; præsertim cùm Sacramentorum subsidia adhiberi ab iis non possint, qui scilicet iis non gaudent. Nostra igitur sententia cum Patrum sensu optimè consentit; nec difficile est, si vos auctoritas mouet, in omni sæculo multos reperire, qui vestros errores configant.

EFFV-

EFFVGIVM XIII.

Ducitur ex vero sensu illius communis effati, excidere eos omnes æterna salute, qui extra Ecclesiæ vnitatem constituti sunt.

SEd quidquid tandem de eo sit, considerandum demum propiùs esse, quid sibi velit commune illud effatum, excidere eos omnes æterna salute, qui extra Ecclesiæ vnitatem sunt constituti. Neque nunc admodùm referre, quæ veterum de eo fuerit sententia: sed quomodo hodie accipiatur, nihil pænè esse, quod non veniat in controuersiam. In primis Romanorum animum duriorem primùm emolliendum esse; protestantes enim, quorum magna pars iam eò inclinet, deinceps quoque haud difficulter manum esse daturos. In Romana igitur Ecclesia, quamquam Theologi multas & diuersas soleant afferre interpretationes, hanc tamen esse primariam, & vice omnium; exsortes esse vnitatis Ecclesiasticæ, quotquot cum Pōtifice Romano nulla intercedit communio; atque in eam sententiam exponi passim populo à Theologis & Catechistis vnitatem Ecclesiæ, in Symbolo Christianis omnibus credendam propositam.

Quòd si autem recolantur, quæ sæpe fuère superiùs asserta, quomodo ea comparata esse debeant, ad quæ credenda Christianos omnes obstringi fas sit; reiiciendam esse omnino interpretationem illam, cùm neque in diuinis scripturis vspiam

fit

sit tradita, neque veteri vnquam Ecclesiæ in vsu fuerit. Absurdos esse, qui existiment, quidquam ad rem facere, quod suo tempore, de communione cum Damaso obseruandâ, vnus aliquando dixit Hieronymus: Nunquam auditum esse in toto Oriente, cùm vtraque Orientis & Occidentis Ecclesia vna adhuc esset, vnitatem totius Ecclesiæ, vti in Symbolo creditur, à communione cum Episcopo Romano dependere: de Occidentis tantùm consensu, illius auctoritatem eò venisse. Superesse etiamnum complures veterum Symboli enarrationes, in quibus omnibus nihil eiusmodi extet. Qui hodie ex Romana Ecclesia in vtrâque Indiâ barbaris Gentibus Euangelium annuntiant, iis inculcare, cum reliquis fidei Christianæ articulis, necessitatem communionis cum Romano Pontifice, quem Christus totius Ecclesiæ caput & Vicarium suum constituerit.

Quòd si igitur idem olim senserint, qui fidem Christianam per totum orbem prædicando diffuderunt, fieri non posse, quin aliqua huius traditionis vestigia reliqua sint: sed nulla fuisse animaduersa, quàm primùm Lusitanorum & Hispanorum classes ad extremos Asiæ Africæque portus appulissent, vbi notitiam acceperint, de inuentis in Oriente & versùs Meridiem Gentibus, anteà ignotis, quæ fidem Christianam inter tot nationes infidelium conseruarent. Eos verò ignorasse, vtrùm esset aliquis in orbe Christiano Romanus Pontifex, ne dum vt scirent, communionem cum eo colendam esse ei,

qui

qui saluus esse velit; nec tantùm ignotum olim fuisse, quidquid de Romano Pontifice hodie in hanc sententiam dicitur, impossibilem etiam esse communionem, quam hodie iudicent esse necessariam, & olim fuisse difficiliorem, cùm nondum ita procliue esset, maria omnia adire. Qui adiêre Sinenses, Patres Societatis IESV, memorare, quòd ex monumentis quibusdam antiquis colligi possit, fidem Christianam neque incognitam iis fuisse, neque infrequentem, & tamen ante hos centum quinquaginta annos, vix nomen eorum peritissimis Geographicarum in Occidente viris notum erat.

In propatulo esse, quàm longo tempore, translatis diuulsisque Regnis, & aliis semper succedentibus Gentibus, ita fuerit abruptum Orientem inter & Occidentem, maximè extrema vtriusque omne commercium, vt vtriusque incolæ sibi inuicem pænè ignoti fuerint: Abissinorum, qui tamen magnam Africæ partem tenent, eamdem esse rationem. Alienum igitur esse à prouidentia diuina, statuere aliquid necessarium ad obtinendam vnitatem Ecclesiasticam, extra quam salus esse nequeat, cuius tamen vsu & notitiâ integræ Gentes, nullâ suâ culpâ excidere possint. Huc igitur rem totam redire, vt statuatur, communionem cum Romano Pontifice anilem tantùm esse coniunctionem, ad restringendam compagem vasti corporis, minimè autem eam ex intentione Seruatoris esse necessariam. Neque tamen à Theologis in Romana Ecclesia aliam posse dari descriptionem vnitatis Ecclesia-

clesiasticæ, quæ reliquos omnes cœtus, qui non idem cum ea sentiunt, ita separet, atque hæc ipsa: cæteras omnes interpretationes ita esse comparatas, vt etiam alij, quàm illi, vnitatis illius possint esse participes; atque adeò nullam amplius esse causam, quare homines prudentes, partiúmque studio minimè addicti, non possint, saluâ conscientiâ, Græcos, Protestantes & Romanos in vnitatem Ecclesiæ Catholicæ adsciscere.

PRÆCLVDITVR.

I. DE communi illo effato, nulla modò est inter Catholicos controuersia, & eodem nunc, vt olim, sensu intelligitur; nisi enim inculpata adultum ignorantia excuset, (quàm pauci autem ij sint, quos excuset, iam suprà fusè dictum est) certum est, neminem extra Ecclesiæ vnitatem positum saluari posse. Nempe ipse error, si cum culpa coniunctus est, reum facit; si verò inculpatus, ab errore quidem ipso excusat (quod enim inculpatum est, minimè imputatur) non tamen ab aliis culpis admissis, quæ cùm remediorum penuriâ, quam error attulit, expungi nequeant, quid mirum, si vel inde salus impediatur. Quid aliud inter nos controuertatur, vt verum fatear, non video. Quòd duriorem animum nobis inesse dicitis, à veritate penitus alienum est; testis est nobis Deus, quanto animi & cordis ardore, vestram salutem & conuersionem expectamus, pro qua cum sanguine vitam,

ex animo dico, libentissimè profunderem. Vtinam, quod subnectitis, ad bonum exitum perducatur; vt tandem Protestantes vltrò dent manus; cùm iam eò inclinent, vt dicitis; vtinam, qui cœpit in iis opus bonum, tandem communi omnium bonorum gratulatione perficiat.

II. Vna est nobis prædicti effati interpretatio; quòd cùm Romana Ecclesia, vera & Catholica duntaxat Ecclesia sit, per Prop. VII. quisquis ab ea segregatus est, ab Ecclesia Catholica segregatus sit, ac proinde saluari non possit, per Prop. X. nec aliam Ecclesiam in Symbolo agnoscimus, vel populis proponimus. Nec quidquam hucusque à vobis assertum est, quod præfatam interpretationem reiiciendam esse demonstret; immò ex iis, quæ disseruimus, oppositum euincitur. Illam autem tum ex Scripturis, tum ex Traditionibus, tum ex nunquam interrupto vsu Ecclesiæ, & Conciliorum, tum demum ex sanctis Patribus & Doctoribus habemus, vt constat ex dictis. Et sanè miror, crambem hanc recoctam toties à vobis versari; testantur haud dubiè omnium sæculorum monumenta, iudicem in Controuersiis fidei à Christo esse relictum, alioquin, vt iam sæpe inculcaui, nostra fides nutaret, & nihil certi esset, quod credere possemus; sed de his iam suprà. Hieronymum perperàm reiicitis, cùm alij Patres eidem sententiæ suffragentur: Augustinus scilicet, Cyprianus, Optatus, aliique ferè innumeri, quos apud nostros auctores videre poteritis. Religioni profectò ducerem, tanti Doctoris, ac de Ecclesia bene meriti

auctoritatem flocci facere; sed in hoc Caluino vestro non absimiles estis, qui sanctos Patres probris, conuitiis & maledictis acerrimè & mordacissimè insectatus est.

III. Nunquam auditum esse dicitis, cùm vtraque Ecclesia vna esset, vnitatem Ecclesiæ ita accipiendam esse. Immò nusquam aliud auditum est; & statim atq; Græci ab Ecclesia Romana desciuerunt, quòd sæpissime factum est, pro schismaticis & hæreticis habiti fuêre. Quasi verò Patres Orientis ad Romanam Ecclesiam non confugerint, Athanasius, Chrysostomus, Ignatius, aliíque iniustè oppressi, & Conciliis Orientis Legati Apostolici non præfuerint, aut saltem illorum approbatio à Romanis Pontificibus petita non sit. Nullam porro Symboli enarrationem exhibere potestis, à Catholico scilicet auctore scriptam, ex qua non constet, Ecclesiam illam esse, cuius Romanus Pontifex Christi Vicarius caput visibile esset. Quòd verò illud idem Gentibus barbaris prædicemus, nostro reuerà munere defungimur; quasi verò Ecclesiam à suo fundamento, scilicet à Petro separare possimus, iísque supremum iudicem in materia fidei tacere; absit, vt Dei causam & Ecclesiæ adeò perfidè vnquam prodamus.

IV. Idem autem olim senserunt, qui fidem Christianam per totum orbem prædicando diffuderunt; quid enim aliud prædicarunt, quàm Euangelium, in quo expresse legimus, Gregem Dominicum Petri curæ commissum, eidem claues Regni cælorum creditas, omnimodam soluendi ligandíque potestatem

factam, Petram esse, super quam Ecclesia ædificata est, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt, Christi precibus eius fidem non defecisse, vt fidem aliorum confirmaret. Cuncta hæc iis primis temporibus definita & circumscripta non fuisse, cùm Ecclesia ad finem vsque temporum permansura sit: Christus enim omnibus diebus nobiscum est, vsque ad consummationem sæculi, & Ecclesiam in sempiternum sibi sponsauit. Nisi hæc prædicarint, Euangelium sanè non prædicarunt, cùm hæc merum putum sint Euangelium. Quòd autem nulla huius traditionis vestigia in Meridie & Oriente à Lusitanis obseruata sint, quid mirum; cùm à Græcis & Alexandrinis suas leges, ac mystas suos acciperent, qui iam dudum Ecclesiæ Romanæ infensi, illius nomen, & multò magis auctoritatẽ extinxerant. Abassinos etiamnum Patriarchæ Alexandrino, Cophto scil. subesse, cuius schisma manifestum est, ac errores perspicui. Quòd verò alterius Alexandrini iurisdictio ad Indos excurreret, nota res est. De Armenorum Patriarcha, nihil est, quod dicam; vt vel inde constet, totum Orientem erroribus Eutychetis, Nestorij, Dioscori, Iacobi Syri, aliorúmque dudum implicitum fuisse; ac proinde Romanum Pontificem nullo apud illos loco fuisse; quid mirum ergo, si ab iis, ad extrema vsque Orientis iidem errores propagarentur.

V. Quòd verò dicitis, impossibilem esse huiusmodi communionem cum Romano Pontifice, eâdem facilitate reijcitur, quâ adstruitur; ex eo enim, quod

quod modò fit, quid fieri potuerit, facilè colligimus. Porro etsi aliqua fidei Christianæ monumenta apud Sinas à Patribus Societatis obseruata sint, id tantùm pro verisimili asseritur: sed quid inde concludatis, non video. Sinarum nomen ante hos centum & quinquaginta annos Europæis incognitum fuit; esto: quamquam, si M. Paulum Venetum legeretis, sententiam haud dubiè mutaretis. Sed demus hoc; quid inde? ergo Romanus Pontifex Sinas, quos non nouerat, curare, pascere, regere non poterat: sed quidni? supponamus, fidem Christianam ipsis prædicatam & expositam, in suo vigore, ad hæc vsque tempora, apud illos viguisse; non tamen potuisse hactenus, propter maxima locorum interualla, mittere Romam ad Petri successorem; habuisse tamen Episcopos ritè consecratos, iuxta primum illum ritum ab Apostolis traditum, ac fidem intactam seruasse; hæc reuerà sufficiunt ad prædictam Ecclesiæ vnitatem. Sed aut nunquam fides eò peruênit, aut statim extincta est, & Idololatria postliminio restituta; ac proinde licèt fortè leuia monumenta supersint, illa tamen obscura sunt & incerta; nec ij, qui modò viuunt, scire queunt, quid maiores ante mille & sexcentos annos crediderint.

VI. Denique quod subnectitis, alienum esse à Prouidentia Diuina, id necessarium ad salutem statuere, quo Gentes integræ nullâ suâ culpâ careant, vel excidant; inane profectò est: quis enim Dei cōsiliarius fuit? cur mundum per tot sæcula sine seruatore reliquit? cur alias gentes & maximam or-

bis partem præ Iudæis aliquo modo abiecit? cur Americam Euangelij luce tamdiu orbatam esse voluit? Idem de multis versus Australem tractũ regionibus dicendum est; nascimur iræ filij, ac proinde digni, quos Deus æternis tenebris addicat, æternáque priuet beatitudine. Hoc sufficere debet, & maximæ gratiæ loco habendum, quòd nemo, nisi suâ culpâ damnetur; quòd nemini peccatum illud, actuale scilicet, imputetur, quod ipse vitare non potuit. Hæc, inquam, sufficere debent, quòd nemo æternis cruciatibus addicatur, nisi propter lethale peccatum, omnino liberè admissum. Accedit, quòd, vt plurimùm saltem, prædictæ gentes illâ notitiâ necessariâ, suâ culpâ, exciderunt; nempe grauia peccata fidei lumen extinguere solent, & diuinam iustitiam irritant, quo fit, vt in pœnam admissorum scelerum, grauiora deinde Deus permittat. Huc igitur res tota redit, vt stet prædicta interpretatio, vt vnitas Ecclesiæ sub vno capite visibili, Petro scilicet, eiúsque successoribus, necessaria sit; vt nemo extra illam saluari queat, nisi fortè illum ignorantia inculpata excuset; quæ certè nulli ferè suffragatur, vt fusè suprà demonstratum est; vt nemo nisi suâ culpâ damnetur; vt Diuina Prouidentia cuncta suauiter & sapienter disponat; vt alius modus, saltem facilior & commodior esse non possit, ad pascendum gregem Dominicum, omnes errores arcendos, controuersias fidei dirimendas; denique vt Protestantes & Græci, aliíque omnes, qui diuersam à nostra fidem tenent, in vnitatem fidei & Ecclesiæ admitti non possint.

EFFV-

EFFVGIVM XIV.

Ducitur ex eo, quòd Graecorum errores nullius momenti sint.

ET cum Graecis quidem Romanam Ecclesiam longè faciliùs transigere posse; nullius esse momenti errores, si quidem eo nomine appellandi sint, quorum eos reos faciant Romani, quamquam etiam falsò multa iis tribuant: praecipuum esse, quòd profiteantur processionem Spiritûs sancti à Patre per Filium, negent eamdem rectè deriuari à Patre & Filio; certè non ita debere vocari, adeóque dissentiant, non tam quoad rem ipsam, si sine animi peruicacia tota expendatur controuersia, quàm quoad loquendi formulam, & additionem *Filióque*, quam ab Occidentalibus, inscio Oriente, & sine Concilij oecumenici suffragio, propter sacrosanctam omnibus Christianis Symboli auctoritatem non debuisse fieri; nec id fortè sine ratione dicant. Consectaria, quae Romana Ecclesia ex eorum sententia eliciat, & prauum aliquid sapiant, ab iis non admitti; neque deesse in Romana Ecclesia, qui vel penitus eos excusent, in primis nupera Epistola mox typis edenda ad Boineburgium Leo Allatius copiosissimè, vel tamen Schismaticos tantùm appellandos esse censeant.

Neque etiam si purgatorium spectes, aliam esse Graecae cum Romana Ecclesia, quàm de nomine

contentionem; quidquid præterea iis tribui soleat; aut fingi tantùm eorum odio, aut adeò nauci esse, vt nemo prudens de eo contendendum existimet. Totam igitur controuersiam eò redire, quòd Episcopo Romano, quem tamen Occidentis totius Patriarcham, & inter reliquos primum esse, primúmque in Conciliis locum tenere fateantur, negent rectè tribui infinitam illam potestatem, quæ ipsi à plerisque Theologis tanto conatu asseratur. Esse eos in hac sententia, quòd non liceat Romano Pontifici definire fidei controuersias, nisi cum scitu Concilij œcumenici. Canonistarum quoque & Theologorum culpæ imputandum, si Græci Pontificem Christi esse Vicarium interdum negare videantur, non tam enim de re ipsa eos inter se contendere; quàm de consectariis, quæ plerique vano studio, ex illo Vicariatu deducere conentur; suis potiùs & Pontificis commodis, quàm conseruationi simplicitatis fidei Christianæ, & veritatis Ecclesiasticæ intenti.

Quin etiam, si vlteriùs ire libeat, & ipsa tam longi & deplorandi schismatis initia animo reuoluere, disci posse, quàm lubrica illa fuerint, quámque pauci, quidquid in eo culpæ est, illius fuerint participes. Iam igitur cogitandum esse, etiamsi singulare quid D. Petro eiúsque Successoribus à Seruatore Christo fuerit delatum, quod tamen eo sensu, quo Romani volunt, Græci non admittant: An ideo tamen tam ingens & numerosa Ecclesia, qualis vtique Græca fuit, quæque in hodiernum tot Christianorum myriadas numerat, propter paucorum cul-

pam,

pam, & à tot quidem sæculis, dici possit excidisse fine suo, qui ei propositus est, æterna dico salute? Et quidem eam ob causam, quia non colat omnimodam communionem cum homine, qui etiam cùm optimus est, vix tamen mediocriter virtuti deditus, par censeri debeat? Necesse vtique esse, qui ita sentiunt, vt credant, Deo magis cordi esse auctoritatem Romani Pontificis, quàm proprij Filij; sine cuius tamen notitia, posse hominem saluari, multi Theologi statuant; quæque in veteri Ecclesia, à Patribus quibusdam, nedum à vulgo hominum, non satis videatur fuisse perspecta.

Neque verò etiam videri Diuinæ Prouidentiæ & Iustitiæ conforme, vt tanti nominis, & per tot prouincias diffusa Ecclesia à tot sæculis (nonum enim iam agi sæculum, cùm primum erupit schisma) perstet tamen immota atque inconcussa, si tanti momenti sit error, quo teneatur. Arianos toti penè orbi Christiano fuisse dominatos, sed statim iterum post sumpta vno impetu incrementa, defecisse, dum post vnum vel alterum sæculum penitus extinguerentur. Hæresium, quarum Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, aliique Patres meminerint, iam à pluribus sæculis nulla amplius vestigia superesse; quæ enim in Oriente, & Africa, Nestorij atque Eutychetis erroribus gentes infectæ esse hodiernum memorantur, eas ignorare, quid sibi illæ sectæ velint, neque eorum impeditas tricas capere; magis illis sectæ autores Dioscorum, & Iacobum Syrum, alióſ-

que, quòd præstantes aliàs essent viri, ipsis notos esse, quàm eorum dogmata, quæ etiam, quidquid adhuc eorum apud ipsos reliquum est, ita nunc sint comparata, vt alia esse videantur, aut captum illorum superent.

Tum quoque Græcam Ecclesiam iisdem penè adhuc Prouinciis contineri, quas olim possederit, nonnullas etiam recèns accessisse: frustra verò esse, qui propterea eam putent domitam fuisse, & à Turcis atque Saracenis infessam. Hispanos Romanæ addictos fuisse Ecclesiæ, cùm eos missis illuc copiis Mauri obruerent. Græcam atq; Orientis Ecclesiam maximum damnum esse passam, quòd Gentibus illis esset vicinior, iisque bellico robore & copiis militaribus, tum etiam votis concordibus inferior: maius in Occidente esse robur, & ab eorum viribus longiùs diuisum, quas alteri potiùs videas & frangi, quàm vim hostibus inferre queant. Si eo statu Romana fuisset Ecclesia, quo Græca fuit, idem eam fatum haud dubiè fuisse mansurum. Cùm igitur perstet à tot sæculis Ecclesia Græca, & quantum fieri potest, inter tot barbaras Gentes, quibus passim obsidetur, adhuc vigeat & floreat, videri vtique, non adeò Deo curæ esse illorum errorem, si quem habent, cùm veterum hæreticorum & schismaticorum cœtus omnes iam pridem Diuinâ prouidentiâ periisse videamus.

PRÆ-

PRÆCLVDITVR.

I. QVod spectat ad errores Græcorum, hoc certè loco discutiendi non sunt; pro his consulantur auctores: eorum synopsim habetis apud Gualterium in sæcul. 9. illi autem damnati sunt diuersis Conciliis, scilicet Lateranensi 4. Lugdunensi 2. Viennensi, Florentino, quibus, si Viennense excipias, ipsi Græci interfuerunt, manúsque dederunt, post longas disputationes, in quibus semper inferiores extiterunt. Mira profectò est huiusmodi hæreticorum aut schismaticorum indoles, qui toties errores suos eiurarunt, Ecclesiæ Romanæ reconciliati, ac deinde ad vomitum redierunt; quater & decies conuersos ac relapsos esse, antiquis historiarum monumentis traditum est. Vnde fides Græca germana est, varia credere, ac identidem fidem mutare, cùm tamen Ecclesia Romana eamdem fidem intactam atque integram semper tenuerit.

II. Huic schismati ambitio Patriarchæ Constantinopolitani causam dedit, qui cùm per trecentos & aliquot annos simplex Episcopus fuerit, vbi deinde in gratiam Imperatorum, Patriarchæ dignitatem adeptus est, secundum initio post Romanum Pontificem locum sibi vendicauit, tum deinde paris conditionis esse voluit, ac tandem per intolerabilem superbiam, reiectis Latinis, vt hæreticis, primatum sibi arrogauit. Primus Photius eò venit audaciæ, vir quidem non contemnendæ eruditionis, vt eius scripta testantur, sed elatæ mentis & tumultuantis indolis; sed vt funestum opus incepit, quod deinde

Ser-

Sergius valde promouit, ita hoc idem Michaël Cerularius Latino nomini infensissimus ad vltimum exitum perduxit, circa annum 1043. quàm verò iniustè Constantinopolitanus primatum sibi arrogârit, nemo est, etiam inter aduersarios, qui nesciat.

III. Quòd dicitis, errores Græcorum nullius momenti esse; pace dixerim vestra, absurdũ est; nullus enim error in fide est, qui minimi momenti esse, vel dici possit; præterquàm quòd in grauissimis articulis errant; scilicet in Trinitate, in Ecclesia, in Sacramentis, in æterna vita, &c. An fortè hæc nullius momenti sunt? negant enim, Spiritum sanctum à Filio procedere; Ecclesiam Romanam minimè agnoscunt, quæ vera duntaxat est Ecclesia, vt suprà ostendimus; corpus Christi à peccatoribus negant accipi, licèt ad S. Synaxim accedant; animas functorum ad extremum vsq; Iudicij diem à gloria cælesti arcent. Quòd de Spiritu sancto, non tam quoad rem, quàm quoad loquendi modum, dissensio sit, nemini sanè persuadebitis, ex iis scilicet, qui rem intelligunt; faxit autem Deus, vt vos ipsi probè intelligatis. De additione *Filióque* in Symbolo, inscio Oriente, vt dicitis, & sine Concilij œcumenici suffragio, Græci queruntur: sed inprimis multa Concilia generalia illam additionem approbarunt, vt Lateranense 4. Lugdunense 2. Florentinum; & licèt tertia Synodus quidquam addi Symbolo prohibuerit, non prohibuit tamen ibidem contenta meliùs explicari; deinde prohibet tantùm aut falsam aut prauam additionem, cùm aliam prohibere non possit: quasi

verò

verò vnum Concilium aliis vincula iniicere queat.

IV. Sed pro hac controuersia legite Bellarm. tom. 1. contr. 2. lib. 2. à cap. 20. ad libri finem, si enim ratio vos mouet, haud dubiè acquiescetis; nec Græci iure queruntur hac de re, tum quia post hanc additionem, tria Concilia generalia habuerunt, in quibus consensêre cum Latinis, tacuerúntque per totos trecentos annos, scilicet ab anno 600. ad 900. tum quia Conciliis nostris interfuerunt, Lateranensi 4. Lugdunensi 2. & Florentino, in quibus hoc fidei dogma confirmatum fuit, non sine illorum suffragio. Nulla inde consectaria deducimus, ad fidem pertinentia; equidem Theologi nostri de hac re disputant, ac probant, Filium à Spiritu sancto distinctam personam non fore, si hic ab illo non procederet; sed nihil hæc ad fidem: Quomodo excusari possit hic error, non video, cùm expressè articulo Symboli aduersetur. Epistolam illam Leonis Allatij in lucem editam non vidi; scio tamen ab erudito & Catholico viro nihil dici, quod à vera fide alienum sit; nonnulla fortè reiiciet, quæ falsò illis imponuntur: quòd autem palmarem illum errorem excuset, adduci non possum, vt credam. De Purgatorio leuiùs errant; saltem ipsi in Florentino fassi sunt vltrò, à suis purgatorium non negari, sed ignem duntaxat, qui sit propriè ignis, non metaphoricè; licèt autem verum ignem esse Catholici teneant, habeántque pro certo, de fide tamen non est, vt fatetur Bellarminus cit. controu. 6. lib. 2. cap. 10. & 11.

V. Nihil autem illis per odium à nobis affictum

est,

vt dicitis; & si aliqua sint, quæ ipsi non admittant, indoli fortè illorum, quæ mutationum amans est, imputari debet; hinc enim factum est, vt pro variis temporibus, variè senserint. Fateor etiam maximam & potissimam controuersiam eò redactam esse, vt negent non illimitatam quidem, sed iustam & legitimam Romani Pontificis potestatem definiendi cōtrouersias fidei: nec Theologi, aut Canonistæ Pontifici quidquam, in hoc saltem, tribuunt, quod ipsi iure non competat; neque hîc agitur de consectariis, sed de re ipsa. Christi Vicarium esse, credimus; illi verò negant; illud autem affirmamus, ac certa fide tenemus, nulla sanè proprij commodi ratione ducti, sed æternæ salutis gratiâ, quam, nisi rectè sentiamus, assequi vnquam non possumus; nec quid certum sit in fide, habemus, nisi hunc controuersiarum Iudicem, ac viuam Diuinæ fidei regulam agnoscamus. Si quis autem potestatem illam Ecclesiasticam ad propria commoda conuertit, in hoc sanè non laudo; secundùm opera nolite facere, at diuinis oraculis state. Porro qualia fuerint schismatis initia, suprà exposui; & grauissima fuit, tum Photij, tum Michaëlis culpa: de iis denique, qui nullâ suâ culpâ huic schismati adhærent, quid dicendum sit, ex dictis suprà perspicuum est.

VI. Non admittunt Græci, vt vultis, quidquid D. Petro eiúsque successoribus à Christo delatum fuit, eo sensu, quo Romani volunt: sed cuius tandem est iudicare, ac dirimere litem; quis claues, quis potestatem iudicandi accepit, nisi Ecclesia Romana?

cur

cur ipsi toties accesserunt, dederúntque manus? Pontificem tanto muneri dicitis imparem: si proprias illius vires duntaxat ponderetis, impar omnino est; si Dei gratiam, & Spiritum sanctum assistentem, non video, cur eo pro dignitate defungi non possit. Ecclesia Græca vastissima est; do vltrò; sed quàm varia, quot sectis, quot capitibus distincta; nam præter Constantinopolitanum, Armeni, Cophi, Syri, Arabes, Assyrij, Abassini, Moschi suum habent; variis hinc inde distincti erroribus, Nestorij, Eutychetis, Dioscori, Iacobi Syri, aliorúmque eiusdem farinæ hominum. Adde multos cum Ecclesia Romana coniunctos, tum ex ipsis Græcis, tum ex Armenis, Syris, Bulgaris, Sclauis, Russis, seu Ruthenis, Maronitis, &c. Et quamquam aliorum magnus adhuc numerus supersit, si tamen meros schismaticos accipiatis, exclusis scilicet iis, quos pro hæreticis vos ipsi habetis, tot fortè myriades non erunt; præterquàm quòd licèt longè plures essent, non tamen est, quod quis desideret, vt in eorum gratiam, Christus nouam Legem ac nouum Euangelium instituat.

VII. Nec iuuat dicere: Hinc videri, Deo magis cordi esse auctoritatem Romani Pontificis, quàm proprij Filij, quod sanè ridiculum est; quasi verò inculpata ignorantia eos non excuset, qui de Romana Ecclesia nihil vnquam acceperunt, quod nemo vnquam Theologus negauit. Immò illi, qui sine Christi notitia hominem saluari posse negant, sine notitia Romani Pontificis saluari posse affirmant. Nec

est,

est, quòd Diuinam Iustitiam & Prouidentiam accusetis, cùm nemo nisi suâ culpâ damnetur; Græci diuina bonitate abusi, dignam rebellionis suæ pœnam dederunt; hinc sub Turcarum Tyrannide & Iugo miserrimè gemunt; hinc tanta sectarum & opinionum confusione impliciti, quid certi credere debeant, nesciunt; hinc homines doctos & sanctos, vt olim, ampliùs non habent; hinc Patriarcharum Constantinopolitanorũ contentiones, rixæ, mutationes; hinc ij toties extrusi, intrusi, expulsi, fugati; is nempe qui maiorem vim pecuniæ Turcis pendit, ille superior euadit. Pudet hæc referre, quæ nemo ignorat: ac miror, quòd illam Ecclesiam immotam semper & inconcussam perstare dicatis, quæ quater & decies errores suos eiurauit.

VIII. Nonnullæ quidem hæreses, quarum antiqui meminerunt, extinctæ sunt; aliquæ tamen etiãnum vigent; multi adhuc Ariani, Nestoriani, Iacobitæ; quid verò de Turcis dicturi estis? Quòd autem plerique errorum ac dogmatum suorum periti sint, certò scimus, ac fidem faciunt, qui cum huiusmodi hominibus versati sunt; nec illorum superant captum, aut alia esse videntur à prioribus, nisi fortè quòd, vt fieri solet, multi noui errores accesserunt. Porrò non putamus frustra ideo Græcos à Turcis domitos esse, & in miseram seruitutem redactos; cùm scilicet suauissimum Christi & Ecclesiæ iugum detrectarent. Quòd constantes in suis erroribus fuerint, nihil iuuat; in hoc enim Turcis & Iudæis pessimæ conditionis hominibus haud absimiles sunt.

sunt. Si Græcorum discordia & impietas tot damna ipsis attulerunt, aliis caussis tribui non debet; Occidens suis hostibus non caruit; nec Græci virium defectum causari debent, qui totum ferè Orientem & Occidentem olim subiugarunt. Roma etiam multa olim passa est; expugnata scilicet à Gothis, Wandalis, Germanis: quot & quantæ prætereà barbaræ Gentes Italiam inundarunt, Longobardi, Hungari, Eruli, Saraceni, & quod omittere non possum, ab ipsis Græcis immodica sanè pertulit; non tamen idem fatum fuit. Ecclesia Romana immota semper in his turbinibus fuit; nunquam fidem, nunquam prima sua dogmata mutauit; quod de Græca dici nequit, quæ toties hucusque resipiscere visa est, & adhuc insanit: nec video, quomodo florere ac vigere dicatur, quæ ferè inter sordes, saltem inter errorum tenebras miserè iacet. Deo igitur curæ est; error ille, quo illa tenetur, maxima, mihi credite, pœna est; itémque cœcitas & obstinatio, quod certè Iudæorum & Turcarum exemplo cõfirmari potest. Accedit, quòd viuunt adhuc multi ex antiquis erroribus, scilicet in Nestorianis, Arianis, Iacobitis, &c.

EFFVGIVM XV.

Ducitur ex eo, quòd Protestantium non dissimilis sit ratio.

Non dissimilem esse Protestantium rationem; quum ex publica fama & fide dignis auctoribus constet, Pium IV. Pontificem obtulisse

Reginæ Angliæ Elisabethæ, sese librum Liturgicum, publico Parlamenti consensu in Anglia receptum; totámque Hierarchiam Ecclesiasticam, sua quoque auctoritate confirmaturum; dummodò Pontificis Romani primatum, & supremam in Ecclesia auctoritatem agnitura esset: Stolidum esse, qui inde non facilè eliciat, non tam Pontifici Romano curæ esse, quidquid aliàs est controuersiarum inter Protestantes & Romanam Ecclesiam, quàm ipsius auctoritatem supremam, de qua disceptari molestè feratur. Iam verò Protestantium eruditissimos, proinde atque Græci faciant, non denegare Episcopo Romano potestatem, quam iure Patriarchali in Occidentem totum obtineat; neque de eo admodum contendere, vtrùm Episcopo Romano, ceu Primario, præ reliquis omnibus, vniuersæ Ecclesiæ sollicitudo incumbat; neque etiam an Petrus fuerit Princeps & vertex Apostolorum, quin etiam certo aliquo modo & eminentiùs, quàm id sibi quisquam Episcoporum ausit tribuere, Christi Vicarium fateri; de eo tantùm controuersiam esse, an sit Monarcha totius Ecclesiæ; an solus omnia possit, sine suffragio & præscitu concilij; an liceat Romam causas omnes euocare, & alia plura, quæ eò spectant; nihil horum esse in Concilio œcumenico definitum; aliter quoque ea de re loqui, qui olim, & ante complura sæcula illius meminêre, quàm eos, qui nunc viuunt, aut in Gallia, atque Germania cis Alpes agunt.

Nihil esse opportunius, ad restaurandam Ecclesiæ concordiam, quàm si Pontificis auctoritas, negle-

neglectis vanis & perniciosis Canonistarum & aliorum adulatorum regulis, quas tamen curia Romana hodie sequatur, intra antiquos Canones constringatur; nec aliam esse causam, quòd Protestantes Episcopum Romanum Antichristum appellent, quàm ideo, quòd eum videant, contempta veterum canonum auctoritate, plus sibi sumere, quàm fas sit, & è re sit Regum Principúmque, quin etiam ipsorum Episcoporum; cùm aliter plerumque viuat, quàm deceat Episcopum: Posse contineri Ecclesias felici concordia, quamquam Pontifici non tribuatur tam ingens potestas; redeundum esse ad prima sæcula, cùm omnium consensu nondum esset tanta Episcopi Romani existimatio; redeundum denique ad eos, qui superiore sæculo, quamuis essent Romanæ Ecclesiæ addictissimi, vel aboleuerint omnino aliquamdiu nominis Pontificij auctoritatem, vel de ea restringenda, & constituendo in suo regno Patriarcha, cogitauerint; cùm omnis demum controuersia ad hanc immensam Pontificis auctoritatem redeat, hanc primùm esse expugnandam, docendúmque, eam non esse necessariam, neque tradita, neque scripta reuelatione Ecclesiæ impositam: Qui tamen eam sponte ferre, atque illi se submittere voluerint, hoc illis fraudi non futurum; vt ideo summũ numen quemquam etiam, qui innoxius est, censeri debeat, summo priuaturum bono, id & prouidentiæ & bonitati Diuinæ minimè esse consentaneum; quin etiam iustas esse causas, propter quas dubitare liceat, quantumuis Seruator noster Pontifici Roma-

no eximium aliquid contulerit, an id ei perpetuum esse voluerit; ita vt illo priuilegio, vti aliàs in humanis fieri videmus, per scelera & flagitia nequeat excidere: sanè cùm curia Romana sæpe sit adeò flagitiosa, & Pontifices adeò degeneres, vt nullam ampliùs in iis primi antecessoris notam agnoscas, quî fieri possit, vt Deus Opt. Max. pro sua φιλανθρωπία tam seuerè homines puniat, si quid non agnoscant in Episcopis Romanis, quo ipsi semet reddiderunt indignos.

PRÆCLVDITVR.

I. NVnquam Pius IV. aliquid Reginæ Elisabethæ obtulit, quod vel bonis moribus, vel sanæ doctrinæ aduersaretur; famam autem inter Hæreticos vulgatam, in testimonium adducere non debetis, vtpote quæ iustam patitur exceptionem. In eo libro Liturgico, vt nonnulla eò ex nostris traducta, tolerari possunt, ita quædam admitti nequeunt; præ cæteris aliqua contra Pontificem in eo leguntur, quæ à Pio IV. approbata fuisse, verisimile profectò non est. Porro ex falso antecedente, falsum reuerà consequens deducitis; scilicet non tam alias controuersias Romano Pontifici curæ esse, quàm supremam illam, qua pollet, auctoritatem. Hanc sanè ipsi cordi esse, non negauerim; cùm in ea Protestantes plurimùm errare constet; sed de aliis eorundem erroribus æquè sollicitus est; cùm nullũ ipse errorem valeat approbare; quisquis enim peccat

in

in vno, factus est omnium reus. Quod de iure illo Patriarchali habetis, futile est; nam quæso, vnde ius illud profectum est, vnde collatum, ac deriuatum? an fortè à Principibus? sed quo ipsi carent, ius illud conferre nequeunt: A Conciliis œcumenicis, inquies; cedo loca, & sacros Canones; ab ipsis Episcopis, vbi transactio, vbi cessio?

II. Prætereà frustra illi sollicitudinem Ecclesiæ vniuersæ incumbere dicitis, nisi potestatem à Christo Petro factam agnoscatis; Christi autem Vicarium esse, non certo aliquo modo, sed verè ac propriè, manifestum est; vnde enim vos certo aliquo modo talem esse probabitis, inde nos verè ac propriè talem esse concludimus: cui enim aliorum Apostolorum dicit: *Pasce oues meas*; *confirma fratres tuos*; *oraui pro te, ne deficiat fides tua*; *super te ædificabo Ecclesiam meam, aduersus quam portæ inferi non præualebunt*; *tibi dabo claues regni cælorum*; *quidquid solueris & ligaueris, erit solutum & ligatum*; atque alia huiusmodi. Si autem Principem & Caput Apostolorum esse, negare non audetis, inde facilè concludetis, esse caput Ecclesiæ, quam nobis Apostoli repræsentant; Ecclesia verò corpus mysticum est, suo capite, suis membris constans; virtus autem à capite in reliquum truncum deriuatur; capiti denique reliqua subesse, par est.

III. Igitur suo modo Monarcha est totius Ecclesiæ; non quòd Concilio œcumenico cum suo capite coniuncto, & ab eo directo, vel confirmato, sua potestas non insit; nullus Catholicus hoc negat;

neque huc facit, quidquid inter Catholicos de vtriusque auctoritate controuertitur. Agnoscite, quæso, Romanum Pontificem, eo saltem modo, quo ab iis agnoscitur, qui inter Catholicos œcumenici Concilij auctoritatem magis, immò maximè extollunt; nec enim illi negant Romanum Episcopum supremum Dominici gregis pastorem esse, cuius sit, res fidei controuersas definire, saltem ad proximum vsq; Concilium, & maiores causas ad se euocare. Dico, *saltem*, cùm nemo Catholicus id neget; ne scilicet quidquam à me adducatur, quod à Catholicis Doctoribus in controuersiam vocetur. Hinc ab aliis Episcopis consulitur, in re fidei & morum; hinc nuper octoginta circiter Galliæ Præsules ad eum quinque Propositiones Iansenianas detulerunt, vt de iis, quid tenendum esset, definiret; & tamen in Gallia, Concilij auctoritas, seu potestas non infimo loco est.

IV. Quòd dicitis, in Concilio œcumenico definitum non esse, Romanum Pontificem hac potestate valere: esto; quàm multa sunt, quæ certa fide tenemus, quæ tamen in Conciliis nunquam definita fuêre, sed supposita; vt Patris diuinitas, hominum redemptio, &c. Deinde, quòd omnia Concilia œcumenica huiusmodi potestatem agnouerint, ex eo patet, quòd vel iis Romanus Pontifex, per suos Legatos saltem, præfuerit, vel ea deinde confirmârit; quod certè hoc loco probandum mihi non est, cùm alij iam id pro dignitate præstiterint, præsertim Bellarm. tom. 1. cont. 4. l. 1. c. 19. &c. Nec aliter hac de

re

se antiquiores Catholici senserunt, quàm modò recentiores orthodoxi sentiant; & si quid Catholicos inter controuertatur, quod ad auctoritatem Romani Pontificis pertineat, liberum sit suarum cuique partium iudicium. Neque id à vobis exigo, vt hanc, vel illam opinionem, quæ ad fidem non pertineat, teneatis, vel adulatoribus, si qui fortè sunt, suffragemini. Sed quòd Romanum Pontificem pro Antichristo habeatis, iis sanè prærogatiuis repugnat, quas illi vltrò conceditis; cùm scilicet eum certo quodam modo, Vicarium Christi, ac D. Petrum Apostolorum Principem appelletis, quæ nemo sanæ mentis Antichristo peccati filio concesserit.

V. Appellate, quæso, antiquos illos Canones, quos Pontifex, abrogatâ sibi iniustâ auctoritate, contempserit; an fortè aliquis Primatum Petro abrogat. Quòd è re Catholicorum Principum sit, supremum Pastorem ac communem Patrem habere, luce clarius est; quasi verò subditis sibi Episcopis & tumultuanti Clero subiici bene illis vertat; præsertim cùm Romanus Pontifex in eorum ditionem nullum sibi ius vendicet; nec enim est Dominus temporalium; & si quid fortè ab vno, vel altero immoderatiùs actum est, quod hîc non dispuro, id certè laudi tribui non debet, nec vnius delictum reliquis omnibus imputari. Episcopis vel inde gratulor, quòd supremum habeant in causis fidei & morum arbitrum, ad componenda dissidia, quæ vel ipsos inter Episcopos nonnunquam intercedunt. Redeamus porro ad prima sæcula, per me non stat; eadem enim semper

fuit Romani Pontificis auctoritas, ab antiquis Patribus commendata, à Conciliis celebrata & expetita ab Imperatoribus magno honore habita; & ne hoc vnum omittam, quod nonnullis fortè mirum accidet, nullū vnquam legitimum & œcumenicum concilium fuit, in quo de Romano Pontifice actum sit maiori cum libertate, quàm in nupero Tridentino, vt historia mox edenda fidem faciet.

VI. Quinam porro addictissimi Ecclesiæ Romanæ esse queant, ac simul auctoritatem Romani Pontificis abolere, capere animo non possum; hæc enim duo sibi inuicem repugnant. Quòd autem id superiore sæculo ab aliis, quàm ab hæreticis, præstitum sit, nemo sanæ mentis crediderit: quis enim Catholicus Romani Pontificis auctoritatem in re fidei & morum non admittat? Quod additis de Patriarcha, inane est; quasi verò vllâ prærogatiuâ Patriarchæ gaudere valeant, quam à Romano Pontifice non acceperint; quasi verò ouis Christi Patriarcha non sit, ac proinde ipse summo Pastori subditus; quasi verò Episcopi Patriarchalem auctoritatem conferre possint, qua ipsi carent: sed hæc omitto, quæ mera sunt simpliciorum terriculamenta. Itaque agnoscenda est supremi Pontificis, non immensa quidem (nec enim omnia potest) sed magna tamen & verenda auctoritas, in sacris libris expressa, communi traditione accepta, à Conciliis admissa, à sanctis Patribus celebrata, eáque ad Ecclesiæ regimen prorsus necessaria; nisi enim supremum Iudicem haberemus,

qui

qui controuersias fidei & morum definiret, Ecclesiæ status perturbatissimus esset.

VII. Quòd liberam fidem cuique suam relinquatis, ferre non possum; cùm enim eadem sit fidei ratio, vel omnia credenda, vel nihil, vt par est, credimus; igitur vel erramus, dum præfatam auctoritatem credimus, aut si rectè credimus, vos ipsi eamdem negando, erratis; error autem, modò inculpatus non sit, vitio vertitur; ac proinde Diuinæ Iustitiæ est, errantem suâ culpâ plectere, cùm ille maximè noxius sit. Quod tandem subnectitis, dubium suboriri posse, vtrùm ea Christus perpetua esse voluerit, quæ in Ecclesia sua constituit, vt, quod sentio, liberè dicam, horrendũ est; eadem enim ratio contra augustissima Catholicæ religionis mysteria militaret; vnde omnia ferè incerta redderentur; prætérquàm quòd singulari profectò iure factum est, vt auctoritas illa errare nesciat ad consumationem vsq; seculi, vel ipso Christi testimonio, extenderetur; nunquam enim portæ inferi aduersùs Ecclesiam in Petro fundatam præualebunt, nec fides Petri vnquam deficiet: licèt autem flagitiosa vita esse possit, omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, at secundùm opera ne feceritis. Porro Pontifices nostri adeò degeneres non sunt, vt exaggeratis; sed odio, quo aduersùs eosdem flagratis, aliquid condonandum; quamquam de priuata eorum vita, hoc loco non agitur, de qua ipsi rationem Deo reddituri sunt, sed de auctoritate à Christo accepta; Christi autem verbis, non priuati hominis factis standum esse, quis

non videt: quòd autem per scelera dignitate excidat, quamdiu fides integra est, periculum esse nequit; si verò in fide peccaret, errorémque suum publicare vellet, tunc esset alia ratio, de qua scholastici disputant: sed quid ad rem? cùm etiam, vt vos vltrò fatemini, Pontifices Romani dogmata fidei non mutent.

EFFVGIVM XVI.

Ducitur ex beato ex hac vita exitu, quò demum tota Christiana religio spectat.

PRæthereà spectandum esse, quò demum tota Christiana religio redeat; Christiano autem vnicè esse propositum beatum ex hac vita exitum, quo de altera vita obtinenda, securo possit esse animo. In hoc igitur vltimo agone, in quo de summa rei agitur, haud dubiè neruum totius religionis Christianæ spectari. Iam verò vti Romanis, Græcis, Protestantibus sit propositus finis, ita etiam eodem omnes modo contra communem hostem in hoc postremo certamine depugnare: vnum & idem omnibus esse Symbolum; arma esse omnibus eadem; idem omnibus scutum diuinæ bonitatis & passionis, atque meritorum nostri Seruatoris. Vbi ad tam serium certamen ventum est, neminem ampliùs esse sollicitum de vanis contentionibus, quæ antè animum distraxerint; tum maximè fidem Christianam intra pauca quædam & ardua constringi, in quibus quum omnes consentiant, tentandum esse homini

mode-

moderato, vt aliquam inter partes tolerantiam concilieт.

PRÆCLVDITVR.

I. FAteor, eumdem omnibus finem propositum esse, beatam scilicet vitam ac cælestem gloriam, ac omnibus in extremo agone, contra communem hostem depugnandum esse; non tamen eadem omnibus sunt arma, nec idem clypeus. Commune Symbolum frustra esse contenditis; iam enim suprà, diuersum esse, luculenter ostendi: exteriorem duntaxat literæ corticem consideratis, sed interiorem veri & Catholici sensûs medullam minimè inspicitis. Eadem quoque fides non est, vt suprà euici; igitur neque spes eadem; vestra enim spes mera præsumptio est. Diuersa sunt arma; vos merita Christi, sed minimè applicata prætexitis; quæ nullis Sacramentis instructis, vobis prorsus inutilia sunt; nos verò, in eo transitu, iis præsidiis munimur, quibus & peccatorum veniam obtinemus, & proximæ salutis pignus accipimus, Sacramentis scilicet Pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ Vnctionis, quibus cùm Protestantes omnino careant, quid mirum, si minùs instructi ac imparati decedunt.

II. Huc autem volo vos, ad vltimum scilicet mortalis vitæ terminum redactos, in quo nullus tricis vestris, aut cauillis est locus; in quo nihil odiis, aut factionibus, nihil superbiæ vel contumaciæ dandum est; in quo mero salutis studio teneri ac duci debe-

debemus. Itaque perpendite, quæso, & vobiscum reputate, quàm melioris conditionis nos simus; nos enim de fide nostra certi, ita spem in Deo nostram collocamus, vt Christi merita, per Sacramenta ab eodem Christo instituta in nos deriuari curemus; ac credimus, vos à salutis via errasse, ac proinde nisi vos inculpatus error excuset, tartareis ignibus addicendos; cùm tamen doctissimi quique vestrûm fateantur, Catholicos, seu Romanos, vt vocare soletis, tutos ac securos in sua religione mori, in qua scilicet æquè saluari possunt. Dicam, quod res est, nullum apud nos morientem vidi, quem Catholicum mori pœniteret; nonnullos è vestris in eo transitu incredibili anxietate laborantes vidi, quòd de sua religione maximè dubitarent; hæc mihi potentissima ratio semper visa est, quæ vnico salutis æternæ momento nititur, de qua cùm agitur, nulla vnquam tolerantia ferenda est.

EFFVGIVM XVII.

Ducitur ex eo, quòd falsò aliqui putent, admissâ partium tolerantiâ, Ecclesiam saluam esse non posse.

NEque audiendos esse, qui ideo tantùm impediant eiusmodi tolerantiam, quòd existiment, eâ semel admissâ, saluam non posse esse Ecclesiam, nec saluam etiam rempubl. Satius quidem esse, si vna & in omnibus quibusque consentiens religio animos contineat; quando id tamen

rea

res ipsa exigat, imitandam esse Ecclesiam & Remp. Iudaicam, qualis ea maximè postremis ante natum Seruatorem sæculis fuit; in eâdem enim Ecclesiâ & repub. varias fuisse sectas, Pharisæorum inprimis, Sadducæorum & Essenorum; fuisse quidem alias quasdam, sed has principes floruisse; in has enim totam Ecclesiam Iudaicam fuisse diuisam, populúmque omnem vni, vel alteri parti adhæsisse; eadem ipsis fuisse sacra, commune templum; quamquam diuersæ ipsis essent sententiæ, diuersa etiam viuendi ratio: Non aliam tum fuisse in orbe Ecclesiam, quàm hanc Iudaicam, quíque ad eam passim è Gentibus accesserunt; nisi quis adiungere velit nouam aliquam, Gentium ratione naturali rectè vtentium; tum etiam non fuisse veram Ecclesiam in vna, aut altera parte sola, sed ex omnibus eam fuisse constitutam.

Essenos quidem, quamquam à Seruatore & Apostolis nunquam commemoratos, quum homines probi fuerint, & optimæ vitæ, minimè omnium posse excludi; nec verò etiam Pharisæorum sectam, quæ reliquas amplitudine superauerit, dici posse exsortem, quum ipse Seruator Scribis & Pharisæis, qui obtinebant Cathedram Moysis, iusserit esse obediendum, & faciendum, quidquid præceperint; vitandos tamen monuerit eorum mores, simulatam pietatem, fastum, & superstitiosas quasdam obseruationes, quæ ipsis maiori fuerint curæ, quàm ea, quæ Deus ipse præceperat: De Sadducæis tantùm iustas esse causas, propter quas dubitare liceat; sæpius tamen

men etiam cum his Seruatorem egisse; fuisse etiam tum quidem præterea homines insigniter pios, vt Zachariam, Simeonem, aliósque, quales etiam eximia pietate præditi viri adhuc hodie reperiantur; illos solos Ecclesiam non constituisse, non constituisse eos alios & peculiares cœtus, non alia ipsis fuisse sacra, non templum aliud.

Ex hac facie Ecclesiæ Iudaicæ, quam haud multis post reditum è Babylonica captiuitate annis, induisse videatur, adstrui eorum sententiam, qui statuant, Ecclesiam Catholicam ex pluribus cœtibus particularibus colligi; quamquam de nonnullis inter se dissidentibus, quorum cœtuum alij aliis sint puriores, perinde atque in Ecclesia quapiam vicana, aut vrbica, vna familia aut altera sæpe rectiùs percipit diuina mysteria, & vitam secundùm ea exigit. Explodi hanc piam & moderatam opinionem, quòd existimetur, fieri non posse, vt Ecclesia, quæ vna esse debeat, ex cœtibus diuersa sentientibus colligatur; id verò iam constare exemplo Ecclesiæ Iudaicæ, quæ vna fuerit, quamquam in varias sectas diuisa; ideo quòd omnes expectarent venturum Messiam, omnes reciperent scripturam canonicam, omnes ad idem templum tam apertè ipsis in diuinis Literis commendatum, commearent: ita quoque hodie Christianos, si vtique vellent, quamuis & ipsi tantopere inter se diffideant, posse esse concordes, cùm vna omnibus sit scriptura canonica, idem Symbolum, vnus ipsis Deus, vnus Christus & Seruator, vnum Baptisma, vna in præcipuis & fundamentali-

bus

bus consentiens Fides; vnam tantùm non habere Ecclesiam, quæ aliàs necessariò inde resultet, non quòd verè non sit vna Ecclesia, sed quòd variis opinionibus, affectibus & zelo præcipite impediti, existiment, propter quamcunque contentionem, desinere protinus Ecclesiam esse vnam; quæ opinio imbecillitati humani Intellectûs tribui soleat, res diuinas humanis sensibus & vulgari more metientis.

PRÆCLVDITVR.

I. NVllus error in Ecclesia tolerari potest; vt vel hinc maximè audiendi sint, qui prædictam abhorrent tolerantiam; vnam esse Ecclesiam constat; vnam scilicet, eamdem Christi fidem profitentium congregationem. Vbi ergo eadem fides non est, eadem Ecclesia non est; fides autem Protestantium & Caluinistarum à nostra penitus diuersa est, vt iam sæpe inculcaui. Nec quidquam ad rem nostram facit illa sectarum in Ecclesia Iudaica diuersitas, quarum singulæ in iis conueniebant, quæ ad substantiam pertinebant. Fuit autem lex illa triplex, moralis, cæremonialis, & iudicialis: Moralis Decalogo summatim continebatur, & hæc nō solos Iudæos, sed omnes homines obligabat, secus verò aliæ duæ; quòd verò ad nescio quas legis appendices, vel interpretationes, vel traditiones pertinet, cùm à summo Sacerdote, vel Pontifice declaratæ non essent, nec definitæ, licèt plerique in iis errarent, non tamen vel inde hæretici censeri poterant,

quòd

quòd ab Ecclesia illius temporis pro hæreticis non haberentur.

II. Non pauca apud nos exempla suppetunt; sic nonnulli inter scholasticos aliquid de fide esse sentiunt, quod tamen alij de fide esse negant; nec propterea hæreticis adnumerantur. Et verò in Ecclesia Iudaica pauca omnino definita erant; Diuina scilicet fide tenenda; v.g. vnitas Dei, Messias futurus, templum Domini; vix aliud inuenio, quod ad fidem illorum explicitam pertineret, præter historica. Hinc Samaritani in fidei societatem ab ipsis non admittebantur, quòd templum Dei negarent; itaque cùm Sadducæi & Pharisæi in prædictis conuenirent, licèt in quibusdam aliis errarent, quæ definita & declarata non erant, non propterea ex fidelium numero expungebantur: idem prorsus accidit in multis quæstionibus Theologicis, in quibus vtramlibet partem sequi licebat, antequam ab Ecclesia definirentur; vbi verò definitæ sunt, definitioni Ecclesiæ standum est.

III. Ita prorsus, si Pontifex Iudæorum declarasset cum suo concilio, resurrectionem mortuorum certa fide tenendam esse, haud dubiè Sadducæi, nisi vellent extra Synagogam fieri, sententiam mutare debuissent: idem dico de Christi ac Messiæ Diuinitate. Præterea Ecclesia Iudæorum non erat vniuersalis Ecclesia, cùm multi extra illam fideles essent, vt Melchisedech, Iob, Niniuitæ, Cornelius Centurio, Eunuchus Candaces, &c. Igitur etiamsi Iudæorum Ecclesia extincta fuisset, non propterea Eccle-

sia omnino defecisset, vt patet. Scio, Protestantes nonnulla opponere contra Ecclesiæ Iudaicæ auctoritatem & infallibilitatem, sed cùm ad rem nostram non faciant, omitto, tu vide sis apud Bellarm. to. 1. contr. 3. & 4. & apud Becanum singulari opusc. de analog. Veteris Testamenti.

IV. Itaque, vt prædictæ Iudæorum sectæ in expressis ac definitis articulis conueniebant, dissentiebant verò in aliis capitibus, quæ nondum definita erant, ac proinde eiusdem fidei societate coniunctæ erant, cùm fides expressa ad ea, quę definita ac declarata non sunt, minimè extendatur, vt patet; ita prorsus variæ sectæ inter Catholicos, v.g. Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, &c. eiusdem fidei vinculo coniunctæ, varias opiniones nondum ab Ecclesia declaratas defendunt; at Protestantes à nobis dissentiunt in expressis fidei articulis, vt iam suprà luculenter ostendi. Longè igitur diuersa est ratio; atque inde hoc effugiũ manifestè præcluditur; quamquam enim Ecclesia Catholica ex pluribus cœtibus componatur, ij tamen omnes, Ecclesiæ Romanæ subditi sunt, eadem fidei dogmata credunt; licet nonnulli aliis rerum fidei peritiores sint. Quod ad Scripturam Canonicam attinet, in Lege Iudaica res adeò explicata nõ erat; hinc Sadducæi libros Moysis duntaxat admittebant.

V. Quòd idem sit nobis & Protestantibus Symbolum, iam sæpe negaui, idem quoque non est Euangelium, nec eadem Scriptura; eadem fortè litera, quamquam hæc in multis vitiata, non tamen

idem Spiritus; litera autem occidit, Spiritus verò viuificat; immò nec vnus eſt nobis Deus, nec vnus Chriſtus: quiſquis enim peccat in vno, factus eſt omnium reus, cùm multa ſint, in quibus fidem Eccleſiæ, ac proinde Chriſto detrectetis, nihil ſanè, vt par eſt, creditis, cùm eadem diuinæ fidei ſit ratio. Non eſt igitur, quòd imbecillitati intelligentiæ, ac præcipiti zelo tribuatis, ſi Proteſtantes alióſque eiuſdem farinæ homines in ſocietatem fidei admittere nolumus; illa certè animi demiſſio, qua Eccleſiam audimus, eiúſque præceptis paremus, ac dictis fidem habemus, imbecillitas dici non debet; magnanimitas potiùs cenſenda eſt; arduum enim eſt ſuperbiam deprimere, & in obſequium fidei captiuare intellectum.

EFFVGIVM XVIII.

Ducitur ex communi templo Eccleſia Iudaica, quamquam in varias ſectas diſtincta.

Contentiones, quæ Eccleſiam Iudaicam in ſectas diuiſerint, non ita fuiſſe obuias, quòd vnum & commune ipſis eſſet templum, eædem ſynagogæ, & oratoria. Quòd ſi Seruator noſter ſuis Diſcipulis æquè atque olim ſub Vetere Lege Deus per Moyſem Hebræis præcepiſſet, vt vnum tantum & inſigne omnibus eſſet templum, in quo ſolemni maximè ritu ſacra fierent, quò ex omnibus orbis Prouinciis mitterentur oblationes; non ita facilè

cilè dissidia Christianorum eruptura fuisse in atroces factiones, & partes diuersas, nullo amplius vinculo inter se connexas, quas apud Iudæos vnius & communis templi continuerit, reiectis abscisísque Samaritanis, ceu Hæreticis, quòd exsortes essent istius communis templi: Christianos verò nullo ita sensibili vinculo, sed mutua tantùm charitate contineri in officio, cuius præcepta, cùm facilè etiam ab imprudentibus violentur, ideo dissidia esse, & frequentiora, & apertiora.

Quantum aliàs valeat religio vnius templi, ad coniungendos variarum nationum animos, spectari posse etiam hodienum in sanctissima basilica sepulchro Domini & Seruatoris nostri inædificata, in qua concorditer viuant Latini, Græci, Armeni, Cophti, Abyssini, Syri, Chaldæique, & quique suæ gentis & patriæ ritum sequantur: Christiani quidē omnes, sed plurimùm inter se diuersi, in illo loco concordes, quum aliàs inter se omnes diffideant; tantum apud eos posse loci maiestatem & reuerentiam. Latinos quidem illic, propter gentis amplitudinem, atque Imperatoris Regúmque Europæorum maiestatem, digniore esse loco, non verò propter religionis puritatem, aut aliquam excelsiorem æstimationem. Quotquot ibi sunt, Christiani nominis gentes, æquo iure ibi censeri, omnes ibi Christum colere & adorare, eiúsque vestigia deuota veneratione prosequi, vti olim Iudæi omnes, cuiuscunque aliàs essent sectæ, in templo Hierosolymitano æquo iure olim Deo Creatori victimas macta-

uerint, venturi Messiæ præludia. Tot Orientis Africæque gentes nunc sacra faciant Hierosolymis, suâ quæque linguâ & ritu, vt moris est in Liturgiis ipsorum; iam à pluribus sæculis non frequentasse tantùm sacra loca, sed etiam seorsim ibi sacris fuisse semper operatos.

Quin etiam si Protestantes interdum eò veniant, visum loca sancta, admitti eos à Latinis, atque Christianos censeri; neque ibi inter se mutuo odio dissidere, siue locorum interualla aliquid de dissidij atrocitate diminuant, siue ipso locorum conspectu, in quibus Seruator noster, summus veræ charitatis præco, conuersatus est, mitescant animi; videri idem iis euenire, quod solet populis Prouinciarum conterminarum, longo & auito odio, vt fieri solet, inter finitimas gentes, inter se collisis, qui vbi fortè in Prouinciis longè dissitis conuenerint, veterum contentionum immemores, amicè agant, domi aliàs hostes. Aut verò eamdem, aut non multùm diuersam esse rationem, quæ si eorum, quorum alij in ipsa quidem Germania, se Hassos, alij Rhenanos, Saxones alij, alij Austriacos, extra eam verò in Prouinciis longinquioribus vno & communi nomine, se Germanos appellauerint. Ita in ipsa Ecclesia quidem Latina, alium posse appellari Pontificium, Lutheranum alium, alium Caluinistam, qui si fortè in Oriente conueniant, vno Christianorum nomine censeantur, & sæpe in istis Prouinciis pluribus, maioribúsque officiis Christianam amicitiam colant, quàm non faciant, colántque ipsi inter se Catholici.

Quo

Quo modo igitur inter se concordes viuunt, atque agunt Hierosolymis tot diuersæ gentes Christianæ; ita etiam in Europa, Catholicos, Lutheranos & Caluinistas, quos vocant, posse, sancitâ inter se mutuâ tolerantiâ, in gratiam redire; desitura etiam odia & graues illas contentiones, nisi cuiusque partis duces abrepti prauis affectibus & liuore concisi, spem concepissent, alterutram illarum partium opprimendi; qua spe inflati, maiore quàm ipsos aduersarios odio eos prosequantur, qui aliquam tolerantiam, aut concordiam inter partes moliuntur; metuentes, ne excidant spe sua, quam de redituro ad eos ingenti fructu, ex alterius partis oppressione & excidio, conceperint.

PRÆCLVDITVR.

I. Illa templi communis ratio ad concordiam inter partes conciliandam parùm conferret; cùm enim in aliis articulis dissensio esset, ij sanè, qui viribus præstarent, alios ex templo exturbarent. Cùm autem Iudæorum sectæ, exceptis duntaxat Samaritanis, ea legis capita tum moralis, tum iudicialis, tum cæremonialis, quæ ad substantiam legis pertinebant, admitterent (pauca enim dogmata, vt iam suprà dixi, definita erant) quid mirum, si eodem omnes templo, eadémque fidei societate & communione gauderent. Cur verò vnius templi duntaxat, nō verò vnius Summi Pontificis meministis? vtrumque enim diuersæ illæ sectæ agnoscebant,

vtrumque negabant Samaritani. Si vnum commune templum Christus nobis non præscripsit, vnam tamen Ecclesiam, vnum Ecclesiæ Caput ac Vicarium reliquit, cui omnes fideles subesse ac parére debeant; cur quæso de templo adeò solliciti estis, de Pontifice verò, sine quo templum inutile esset, tam parùm curatis? Sed hæc sunt leuia.

II. Præterea non tantùm mutuæ charitatis vinculo Christiani omnes, sed eiusdem potissimùm fidei, contineri debent. Quòd charitatis leges violemus, & aliquo, quantumuis minimo vos prosequamur odio, dare vobis non possum, vtpote qui pro vestra salute, cum sanguine vitam profundere parati simus, & quidquid dissensionis intercedit, id saltem, quod nostrum est, erroribus duntaxat vestris, non verò amori erga vos nostro aduersetur. Scribunt plerique nostrûm, prædicant, disputant, disserunt, vt hæreses vestras refellant, nullo sanè aduersùm vos odio ducti, quos saluos esse impensè volunt; sed vt vos ad veram fidem conuertant, atque adeò vestram procurent salutem.

III. Quod de Basilica Dominici sepulchri exaggeratis, inane prorsus est; quasi verò in potestate Catholicorum positum sit, alios arcere, qui persolutâ Turcis pecuniâ, id alioquin facilè obtinerent, nec in religione concordes dici queunt, qui sunt fide diuersi. Quòd verò sub eodem tecto, vt aiunt, sua obeant sacra, diuerso ritu & modo, & quod caput est, diuersa omnino fide, ad vnitatem religionis & Ecclesiæ nullatenus conducit. Sic in Germania

nia nonnullæ ſunt ædes ſacræ, in quibus Catholici & Proteſtantes alternis ſacris operantur; ſunt item in Gallia, quæ muro duntaxat à Caluiniſtarum templis dirimuntur, communi campana vtriſque famulante. Quòd Latini in præfata Baſilica ſepulchri Dominici digniore ſint loco, non tantùm gentis amplitudini tribuendum eſt, verùm etiam tum antiquæ poſſeſſionis Iuri, tum etiam Turcarum opinioni, qui præ Catholicis, alios Chriſtianos non putant.

IV. Illic quidem omnes Chriſtum adorant & colunt, ſed diuerſa fide & ritu, ac proinde diuerſo euentu. Quòd diuerſa ſit rituum & Liturgiarum ratio, parùm refert, modò eadem fides eſſet; ſic enim in noſtris Baſilicis, Græcos, Armenos, Maronitas ſuo ritu facere permittimus. Si tamen prædicta baſilica Turcarum imperio ſubducta eſſet, & Catholicorum ditioni ſubdita, Hæreticis haud dubiè eò aditus non pateret, ſaltem ad ſua ſacra facienda; nec etiam modò Proteſtantes noſtri admitterent, in ſacrorum ſcilicet Cōmunionem, quamquam eos amicè alioquin exciperemus. Nec vſpiam ab iis mutuo diſſidemus odio, aut ſaltem mutuum non eſt; neque vos vllatenus fugit, quanta charitate & humanitate vos interdum, etiam in Europa, excipiamus, quamquam huiuſmodi officiorum vrbanitatem reijcitis, quod an ſuſpicioni veſtræ, an fortè odio, vel potiùs vtrique tribuendum ſit, prorſus ignoro; facite, vt ſimili animo erga nos ſitis.

V. Latini omnes communi Francorum nomine veniunt in Oriente, à Turcis Infideles omnes vo-

cantur. Quòd in Ecclesia Latina alij Pontificij, alij Protestantes, Caluinistæ alij censeantur, non admitto; cùm Ecclesia ex Catholicis duntaxat constet. Illa porro comparatio, quam à diuersis Germaniæ Prouinciis ducitis, valde claudicat; ad hanc enim Patriæ communionem, linguæ, morum, indolis, & vulgaris appellationis communio sufficit; cùm tamen in religionis communitate secus accidat; alia omnia diuersa sint, modò fides eadem sit; vt autẽ eadem sit, in nullo penitus differat, oportet. Itaque falsum est, hæreticos Orientales in basilica sepulchri Dominici in societatem fidei à Catholicis admitti; nec etiam ibidem illos suis sacris operari paterentur, si suprema potestate valerent. Nec illa, quam vos tantopere commendatis, tolerantia, vllo modo Catholicis probanda: nec vos vllatenus opprimere cogitamus; vtinam tot errorum pondere iam obrutos, discussis erroribus, liberare possemus, & in salutis viam reducere; nullo sanè liuore, odio nullo, sed mero charitatis studio ducti; id nobis malum aduentiat, quod vobis volumus.

VI. Hanc quæso suspicionem ac sinistram de nobis deponite opinionem: quòd autem eam, quam proponitis, concordiam acceptare nolimus, non vestri odio, sed veritatis & fidei zelo facimus; Deus cum Belial conuenire non potest, cum Dagone Arca, cum luce tenebræ, cum fidei puritate obstinatus error: vel hinc certè non maiore odio, sed maiore commiseratione digni, quòd antiquis erroribus, per huiusmodi conciliatores nouus error accedat.

Error

Error enim palmaris est, Hæreticos cum Catholicis, Protestantes cum Romanis in fidei societatem venire; immò monstrum quoddam erroris esset, eò cæteris perniciosius, quò laxiore via salutis aperta, firmatóque illo dogmate, quemuis in sua religione saluari posse, omnibus salutis incuriam iniiceret, eúmque sanctum metum subduceret, quo plerique ducti, non anxij quidem, sed valde solliciti, in hoc propriæ salutis negotio viuunt.

EFFVGIVM XIX.

Ducitur ex dissensionibus recentiorum Iudæorum, quæ tamen vnitatem religionis non dissoluunt.

QVòd si vlteriùs, inquiunt, Iudæorum exemplo insistere libeat, esse etiamnum inter eos graues dissensiones, aliósque esse ritus Hispanorum, alios Germanorum, alios Orientalium Iudæorũ, tam etiam notam admodùm olim eos fuisse sectam Karraitarum (Samaritani enim, quorum nomen multis post Christi Natiuitatem sæculis celebre fuit, semper fuerunt à Iudæis seiuncti) quòd reiectâ reliquorum penè omnium sententiâ, qui nescio quas traditiones à præcipuis Doctoribus, diuersis voluminibus comprehensas venditabant, solas diuinas scripturas sequendas arbitrarentur; ingens ideo exortum fuisse passim inter Iudæos in Oriente & Occidente dissidium, atque Karraitas mul-

ta damna atque incommoda reliquorum Iudæorum inuidiâ pertulisse: intereà tamen vtrosque Iudæos esse, neque, quocunque aliàs inter se dissidio laborent, alio loco haberi posse, quàm quo sunt apud Christianos, aliósque diuersam religionem sectantes Iudæi; vtrosque enim eadem habere sacra, eamdem fidem in vnum Deum Creatorem cæli & terræ, atque Messiam aliquando venturum.

Quòd verò Karraitæ non recipiant fabulosas illas atque incertas, si quidem Symbolicæ non sunt, Thalmudicorum narrationes, omnibus etiam è triuio notas, nec veterum omnium Rabbinorum commenta approbent, ideo tamen non minùs eos Iudæorum loco esse censendos, atque illi, qui eiusmodi ceu à maioribus tradita, verè anili fide credant, quorum conditionem perinde misereri liceat, atque eorum Christianorum, qui olim nescio quas fabulas de draconum, serpentum, horrendorum vermium, multarúmque aliarum hodie non amplius cognitarum bestiarum, cum sanctis quibusdam Viris pugnâ, velut quondam Gentiles Herculis sui certamina, pari propemodùm fide, atque alia Christianæ fidei dogmata receperunt. Huiusmodi narrationes à Iudæorum commentis, haud multùm diuersas olim passim in Ecclesia fuisse creditas, atque ita vsu receptas, vt adhuc hodie apud plurimos fidem inueniant, & transituras fortassis aliquando fuisse in certos, publicóque vsu receptos codices, nisi maior fuisset semper veræ eruditionis, Philosophiæ atque omnium artium liberalium habita apud Christianos

nos ratio, quam vnquam apud Iudæos.

Quibus autem sæculis natiua fuerit barbaries, quæ sunt rerum humanarum vicissitudines, iis plura eiusmodi & ficta, atque credita fuisse, quæ nunc ab omnibus explodi videas. Quin etiam in vna Prouincia, in qua maior regnet passim apud populum, quàm in cæteris ignorantia, & simplicitas, sæpe recipi, & ceu verissima atque sancta credi, quæ vbi in alias perferantur Prouincias, vbi homines sint naris emunctioris, ac prima statim narrata, sibilo propemodùm excipiantur. Videri autem si rectè vtriusque secta, & reliquorum Iudæorum atque Karraitarum instituta & mores consideres, posse Protestantes Karraitarum vicem, Catholicos autem atque Orientales reliquorum Iudæorum, siue Thalmudistarum, quorum prætereà longè maior sit reliquis numerus, vicem obtinere.

PRÆCLVDITVR.

I. QVid, quæso, ad nos diuersa illa Iudæorum post Christi mortem instituta, & variæ sectæ, cùm iam eos errore teneri vos quoque fateri debeatis? Quòd errantes illi in nonnullis conueniant, in aliis differant, quid tum? meram societatem humanam componunt; cuius institutum earumdem opinionum vnitatem non desiderat. Iudæi meris opinionibus ducuntur, cùm diuina fide careant; opinionum autem varietatem in eâdem gente, eodem populo, eâdem ciuitate & familiâ, ci-

tra

tra societatis humanæ labem aut solutionem tolerari posse, nemo sanè est, qui dubitet. Quòd autem prædicta Iudæorum communitas intra humanæ societatis fines sese contineat, certo certius est; cùm nihil penitùs diuinæ fidei habeant: & quamquam religionis nomen obtendant, illud tamen varium est, & merus obtentus, cùm religione omni careant. Igitur Karraitæ cum aliis humano illo vinculo coniuncti manere possunt, licèt ab iis in plerisque dissentiant; neque hoc facit, quin eamdem Iudęorum gentem, eumdémque populum constituant.

II. Haud sanè dissimili ratione Protestantes, Caluinistæ, aliíque Hæretici, licèt varia sentiant, & in plerisque non minùs inter se, quàm à Catholicis discrepent, eamdem tamen sectam componere possent: Immò inter Protestantes diuersa sunt dogmata, & vix duos ministellos, vt vocant, inuenias, qui idem in omnibus sentiant. Possent, inquam, in eamdem religionem coire; nempe cùm vera fide careant, & humanæ duntaxat communionis nexu ac vinculo teneantur, cúmque illum nexum opinionum dissensio non soluat, quid mirum, si in vnam gentem, vnum populum, vnam, vt vocant, religionem, coalescere valeant; quod præfato conciliatori longè meliùs succedet, quàm id, quod faciendum suscepit, & è re Christiana fore asserit, vt scilicet Catholici cum Protestantibus, Caluinistis & Græcis in eiusdem Ecclesiæ communionem conueniant.

III. Hoc autem fieri minimè posse, ex dictis constat; nempe Catholici omnes eius fidei nexu copulan-

lantur; cum iis igitur in fidei societatem conuenire nequeunt, qui diuersam ab iis fidem profitentur, vt patet: quòd autem Protestantium fides à nostra diuersa sit, in controuersiam non cadit. Dissimilis igitur ratio est; nempe vt errores inter se conuenire possunt, ita & errantes; cùm tamen error cum vera fide simul stare non possit: Bonum ex integrâ causa, malum verò ex minimo defectu: hinc quisquis errat in vno, fit omnium reus. Quòd vera fides bona sit, plusquàm certum; hinc leuissimi erroris accessione vitiatur; hinc bona amplius non est; igitur neque vera: idem de vera Ecclesia, ac vera Religione dictum sit. Igitur licèt diuersæ Iudæorum, vel Hæreticorum sectæ in vnam societatem coëant, Catholici tamen cum iis sociari nequeunt.

IV. Exaggeratis præterea narrationes quasdam, maiore saltem ex parte apocryphas, nempe Gelasius Papa Can. *Sancta Romana.* distinct. 15. S. Georgij & Draconis historiam inter Apocryphas recenset; quasi verò Sanctorum acta diuina fide credamus, exceptis scilicet iis, quæ sacris Litteris continentur. Nec est, quòd scriptores vestri Melanchthon, Caluinus, aliique ferè omnes adeò vehementer nobis exprobrent eorum Sanctorum cultum, qui nusquam fuerunt, vt SS. Georgij, Christophori, Catharinæ, Hippolyti, &c. Fateor, nonnulla fortè iis affingi, quæ cum veritate minùs consentiant: Hinc Abdias Babylonicus multa de Apostolis scripta reliquit, quæ manifestæ falsitatis conuinci queunt; hoc tamen non probat, Sanctos illos nunquam extitisse,

vt optimè ostendit Bellarm. tom. 1. contr. 7. lib. 1. cap 7. itémque Becanus opusc. singulari de inuocatione Sanctorum, quæst. 13. apud quem innumeros auctores, magni reuerà nominis habetis, qui huiusmodi Sanctorum meminerunt, eósque aliquando vixisse testantur.

V. Quis, amabò, neget, Carolum Magnum extitisse, aut Cyrum Persarum Regem, aut Alexandrum Macedonem; iis tamen innumeras fabulas affictas fuisse legimus, in Heroicorum gestorum fictis historiis, quas vulgò *Romanas* appellamus; immò res à Christo Domino Seruatore nostro gestæ nonnullis scriptis apocryphis vitiatæ ac fœdatæ fuerunt. Itaque licèt nonnulla sint Sanctorum acta, vel nullius, vel suspectæ saltem fidei, hoc tamen non facit, quin profectò illi extiterint, ac eo cultu digni sint, quem iisdem Catholici deferunt: imponitis autem fidei nostræ; quasi verò illa vnquam certa fide tenuerimus, aut ea fidelibus credenda Ecclesia vnquam proposuerit? Si quid in hoc peccatum sit, non aliis, quàm rudioribus ac syluestribus hominibus imputandum est, crassâ, aut inculpatâ ignorantiâ laborantibus, qui vel in ipsis fidei nostræ articulis ea concipiunt, quæ vix inter fabulas locum inuenirent. Non est igitur, quòd Ecclesiæ errorem illum tribuatis, qui nonnullis duntaxat, Ecclesiæ quidem fidelibus, inculpatè, vt aiunt, errantibus competit, qui vel nonnulla ad fidem pertinere putant, quæ fidei non sunt, aut aliqua ad fidem pertinentia

ita

ita fabulis infestant, vt vel in ipsam fidem aliqua nota refundi videatur.

VI. Nonnulla quoque esse fateor, quæ vt à maiore parte vera esse creduntur, licèt non ea fide, quam diuinam vocamus; ita sunt alij, qui quòd vel inde aliquid inanis auræ captare velint, ea reiicere non verentur; abstineo ab exemplis, quæ passim obuia erunt. Quidquid sit, ea probè distinguimus, quæ piâ quidem, humanâ tamen fide credimus, ab iis, quæ certâ & indubitatâ fide tenemus, in quibus certè nihil falsum, nihil fabulosum habemus; vnde sanè, quæ vos opponitis, penitus difflantur. Quòd autē Protestantes Karraitis, nos cæteris Iudæis comparandos esse, subnectitis, perperàm dictum, pace dixerim vestra, quod ad nos spectat; fabulas enim fides nostra prorsus eliminat, vtpote quæ veri duntaxat patiens est: quod verò ad Protestantes attinet, facilè concesserim, eos Karraitis vel in hoc haud absimiles esse, quòd traditiones Ecclesiasticas reiiciant, quas tamen admittendas esse, suprà euicimus.

EFFVGIVM XX.

Ducitur ex eo, quòd difficile sit, ex vulgi animo opiniones euellere, quas cum lacte materno imbiberunt.

NIhil est difficilius, quàm ex vulgi maximè animo euellere opiniones, quas cum lacte materno imbiberint, atque abolere auitas traditiones à maioribus acceptas, quantumcunque, etiam

etiam fabulosæ illæ sint, & ridiculæ aliis videantur; tantam esse in animis hominum vim vetustatis, ad quam labefactandam nouis oraculis sit opus, aut antiquis iterum in lucem protractis, quorum auctoritate, siue ea verè, siue falsò adducatur, emolliuntur primùm hominum animi. Quamquam autem multi sint, qui satis percipiant, quantum istiusmodi res valeant, eos tamen studiis populi eò rapi, quò illa tendunt, quemadmodum peritissimi etiam Nauarchi ventorum atque fluctuum vi abripiuntur; aut verò si prudentiores sint, conniuere ad omnia, & vultum ad populi mores componere, ne grauiora patiantur, aut bonis suis excidant; vel etiam innato partium studio, transuersum agi, ne verum peruideant, aut perspectum amplectantur. Paucos esse, qui gloriari possint, se ab istiusmodi affectibus esse immunes; ineptos plerósque, qui de rebus propriis rectè iudicent, perinde atq; Medici suos morbos haud facilè cognoscunt, atque iis medentur.

Vtrumque perspici eorum exemplo posse, qui Machometis legem sequuntur, eos non minùs esse in varias atque diuersas sectas scissos, atque hodie Christiani sint diuisi. Non deesse, qui inter eos, LXXII. numerent, de quibus nuper Abrahamus Echelensis Maronita, libro peculiari de sectis & religione Arabum atque Machometanorum plura scripserit: à Christianis autem omnes illos, quamquam atrociter inter se diffideant, habere tamen pro Machometanis; nam si eorum dissensiones circa interpretationem legis suæ, aut alia quædam, de

quibus

quibus contendunt, expendantur ab iis, qui nullo affectu ducuntur, aut odio huius, aut illius partis, quíque neque vni, neque alteri opinioni sunt innutriti, non posse aliam ab iis ferri sententiam, quàm quòd res, de quibus disceptant, non sint magni momenti, vt proinde possint tranquillè & pacificè viuere, dummodò velint.

Intereà tamen Machometanos propemodùm inter se atrociùs dissidere, quàm Christiani faciant; certè Persas inter & Turcas tantum esse odium, & tam funestum, vt Turcæ satiùs existiment, vnum occidere Persam, quàm decem Christianos: quibuscunque tamen aliàs Turcæ atque Persæ sint moribus, non esse eos homines, neque stupidos, neque imprudentes, sagacitate quidem ingenij quibusuis etiam Christianorum gentium pares debere censeri; & tamen eorum dissidia, quæ Christianis adeò videantur esse leuia, & tam parui momenti, ab illis tanti fieri, vt quidquid bella secum afferunt molestiæ, nihili æstiment, dummodò pars quæque suam defendat sententiam. Non deesse etiam inter eos, qui hæc perspiciant, sed illos vel multitudinis studio abripi, atque suam celare sententiam, vel ita deuinctos teneri opinione veteris traditionis, vt quamquam lyncei aliàs sint, hîc quidem cæcutiant.

Hanc ingenij humani imbecillitatem, quam adeò apertè in aliis deprehendamus, posse etiam obrepere Christianis; vtrimque enim homines esse, qui etiam cùm prudentissimè agere sibi videntur, humani tamen aliquid patiantur. Huius infirmi-

tatis ſigna, de pluribus pauca, eáque manifeſta, ne alia commemorentur, quàm quæ nemo negauerit, cerni poſſe in diſſidiis religioſorum Ordinum; de rebus nullius momenti ſummo animi feruore, atque magno Eccleſiæ ſcandalo, contendentium; quorum exemplum etiam hoc erudito ſæculo, omnibus indignantibus, non veriti fuerint Capuccini & Franciſcani ſtrictioris obſeruantiæ producere in lucem, ſumma contentione, mutuíſque odiis, atque conuitiis, confictíſque ab vtraque parte miraculis, inter ſe decertantes de S. Franciſci Caputio, vtrùm illud acuminatum fuerit, an obtuſum; ceu illud quidquam referret, aut ſciri religionis Chriſtianæ intereſſet.

In Græca quoq; Eccleſia quondam agitatas fuiſſe ſimiles contentiones; inter quas in primis celebris fuerit illa de transfiguratione Seruatoris noſtri in monte Thabor, quæ eò fuerit progreſſa, vt propemodùm Eccleſia in partes ſcinderetur. Vel ex paucis his exemplis, de quibus omnium conſenſu conſtet, colligi poſſe, quàm non ſint etiam Chriſtiani cœtus, ab eiuſmodi infirmitate immunes, quæ, ſi contentionibus non fuiſſet obuiàm itum, diuiſúſque etiam populus vtrique parti adhæſiſſet, potuiſſet erumpere in ſchiſmata diu duratura. Cogitandum igitur, an omnia, de quibus in Eccleſia Latina contenditur, ſint tanti ponderis, vt ideo tantopere diſſidere fas ſit; & vtrùm non ſint quædam, quæ mereantur in numerum ſuperuacaneorum referri: cogitandum eſſe interdum, etiam à Pontificibus, opi-

opiniones quasdam fuisse damnatas, ne solus Philastrius huius culpæ reus fuisse existimetur, quæ etiam ab omni alio errore fuerint immunes. Eiusmodi verò, vbi longo vsu recepta fuerint, transire in legẽ, sicut in ciuitatibus & Rebusp sæpe obseruationes quædam non inutiles tantùm, sed etiam noxiæ & ridiculæ, ideo tantùm, quia longa consuetudine à vulgo fuerunt approbatæ, maioris fiant, atque in earum conseruatione, etiam ab iis, qui illas nihili æstimant, tantùm ne quid innouetur, & Resp. ex illa mutatione quidquam sentiat detrimenti, maius studium collocetur, quàm in aliis, quæ statum Reip. propiùs concernunt.

PRÆCLVDITVR.

I. Licèt difficile sit, vulgi animo altè insitas opiniones euellere, nihil tamen vulgo mutabilius esse constat; hinc ad Lutheri, Caluini, aliorùmque hæresiarcharum classicum, tanta in populis mutatio facta est, & tot hominũ myriades ab auita religione desciuerunt, eásque reliquerunt traditiones, quæ ab Apostolis ad nos vsque traductæ fuerant, vt noua commenta & somnia ab ignotis ac suspectæ fidei & famæ hominibus acciperent; neque nouis oraculis, aut miraculis opus fuit, ad vetustatis maiestatem labefactandam: quidni ergo eâdem facilitate ad Ecclesiam redeant, quâ olim ab eâdem discesserunt? Fateor vltrò, ventorum vi multos abripi, humanorum scilicet affectuum, quorum studio

 ducti,

ducti, de religione ſtatuunt; neque me latet, quid pleroſque à reditu retineat, qui religionem propriis commodis metiuntur.

II. Quid ad rem faciant Machometanorum diſſenſiones, non video, quamuis longè plures adhuc eſſent; demus etiam de minimis, nulliúſque momenti rebus contendere, quid tum? quis neſcit, grauiſſima bella, vt plurimùm, à minimis principiis ortum ducere, & propter leuiſſimam interdum offenſionem, ne dicam ſuſpicionem, vel vmbram, vehementiſſimas tempeſtates excitari. Scio, Turcas Perſis infenſiſſimos eſſe; vtpote qui non modò de religione, verùm etiam de imperio inter ſe contendant; ſed quid inde? fallax eſt argumentationis forma, quâ ex particularibus, vt Logici vocant, aliquid concluditur; licèt enim veriſſimum ſit, grauiſſimas interdum diſſenſiones de quiſquiliis eſſe, ac de rebus parui momenti, non tamen inde ſequitur, diſſenſiones illas, quæ nos inter & Proteſtantes intercedunt, huiuſmodi eſſe: præterquàm quòd, vt iam dixi, diuerſi errores inter ſe fœdus ac ſocietatem inire queunt; error tamen cum vera fide ſtare & conſentire non poteſt.

III. Fateor etiam, inter noſtros de quibuſdam opinionibus acerrimè diſputari, quæ cùm ad diuinam fidem non pertineant, vtrique parti liberæ permittuntur: immò ad vitandam offenſionem, ſilentium nonnunquam vtrique, auctoritate Apoſtolica, imperatur; ab exemplis abſtineo, quæ obuia ſunt. Vtrùm verò laudi, ac vitio huiuſmodi diſputationes

nes vertendæ sint, definire meum non est: vnum tamen subnecto, à ratione penitus alienum esse, pro meris opinionibus tam acriter decertare, quarum veritas perspecta non est: iis tamen nonnulli tantâ pertinaciâ & obstinatione adhærent, vt potiùs diuinæ fidei dogmata eiurare velle, quàm suas opiniones relinquere, videri possint; tanti ponderis est factionis studium, vt animos hominum præcipites agat, & cæcorum more, in apertum erroris baratrum inducat.

IV. Sed quid ad nos, quid ad fidem, quid ad quæstionem? fateor, huiusmodi dissidia posse aliquando Christianis obrepere; nec inficias eo, quin tanta sit humani ingenij imbecillitas, vt ipsi quoque Catholici aliquid humani patiantur; hoc tamen non probat, aliquid quantumuis leue à Catholicis remittendum esse in materia fidei. Illas Franciscanorum & Capuccinorum disputationes à bono zelo profectas esse facilè crediderim; si quæ tamen iactata vtrimque conuitia, nec laudi, nec vitio verto; quid enim ad me? immò quid ad rem, quid ad fidei controuersias, de quibus hoc duntaxat loco agitur? Idem dictum esto de contentionibus in Græca Ecclesia agitatis; neque res illa transfigurationis Dominicæ tantos, vt dicitis, tumultus concitauit; quidquid sit in moribus & dogmatis fidei, ab Ecclesia Græci, quid tenendum esset, acceperunt; licèt deinde ab ea defecerint, multísque erroribus sese implicuerint.

V. Multa sunt, vt iam dixi, de quibus contende-

re inter Catholicos licet; omnem enim disputationem, quam nonnulli ingeniorum cotem appellant, auctoritate publica prohibere, tyrannicum esset; multa enim sunt, quæ cùm nec ad fidem, nec ad bonos mores pertineant, in disputationem cadere possunt. Quòd autem à Romano Pontifice nonnullæ opiniones hæreseos damnatæ sint, quæ tamen omnis erroris fuerint immunes, probandum vobis incumbit. Sed quidquid in hanc rem opponi potest, apud nostros auctores habetis, præsertim apud Bellarminum, to. 1. controu. 3. l. 4. quasi per totum; vbi egregiè diluit calumnias Romanis Pontificibus affictas; vos videritis, frustra ego iam actum agerem. Nego igitur, quidquam à nobis certa fide teneri, quod falsum sit; nec vllum errorem longa consuetudine in dogma fidei transiisse. Porro Philastrius Episcopus Brixianus strenuus defensor fidei Catholicæ fuit, teste Baronio, & Catalogum hæreticorum descripsit; si quem fortè iniuria appellauit, cur reticetis; quisquis certo crimine Deum non accusat, responsum nullum meretur.

EFFVGIVM XXI.

Ducitur ex eo, quòd pleraque capita nunc controuersa, aliquando impunè aut ignorata, aut libera fuerint.

Pleraque, inquiunt, capita, quæ nunc sunt controuersa, & Ecclesiæ vnitatem scindunt in

in partes, aliquando impunè aut fuiſſe ignorata, aut de iis, tamen ſine vllo ſalutis periculo, dubitatum. Vetuſtiſſimos quoque Patres ſæpe dubiè fuiſſe locutos; neque id tum, quum in viuis & ſumma auctoritate eſſent, ſed aliquot deinde pòſt ſæculis primùm fuiſſe animaduerſum, quum in erroris ſocietatem ab aliis traherentur. Duo enim eſſe hominum genera, quæ maximè turbent Eccleſiam; alios quidem fidei controuerſias prætexere factionibus, & ita ſuas ſententias populis proponere, vt ex iis ſibi cœtus peculiares colligant: alios deinde eſſe, qui imprudenti zelo commoti, in quoſuis diſſentientes protinus inſurgant, & homines, aliàs tranquillitatis amantes ita vrgeant, vt victâ tandem patientiâ, vltima tentare auſint; vtrumque hoc hominum genus ſi procul fuiſſet ab Eccleſia, nihil aut parum vnquam futurum fuiſſe in ea turbarum.

Sed eo ſtatu eſſe res humanas, vt procliue quidem ſit, optare, ne eiuſmodi hominum turbulenta ingenia Eccleſiæ pacem diſturbent, ſperare minimè liceat; ideo prædictum eſſe, quòd oporteat eſſe hæreſes, ſectas & ſchiſmata, ſpectatâ humani ingenij inconſtantiâ & imbecillitate, atque varietate rerum humanarum; quum nullum etiam imperium, aut Reſp. vlla diu poſſit ſine factionibus quibuſdam & mutationibus conſiſtere. Ortis igitur atque agitatis aliquamdiu eiuſmodi controuerſiis, iis quibus in alterutram partem aliquid determinare conſultum videatur, non fuiſſe primariò propoſitam rei definiendæ neceſſitatem, ſed pacem & tranquillita-

tem Ecclesiæ, quæ ipsis, inter tot dissensiones, non fuerit visa inconcussa posse persistere.

Nullum posse dari exemplum illustrius, quàm quod nuper suppeditauerit Innocentius X. quum quinq; propositiones Iansenianas definiuit; de ipsis fuisse disputatum, neque sine contentione, inter homines eruditos, ita tamen vt charitatis & moderationis Christianæ terminos nō omnino excederent. Et quidem si inter doctos tantùm solertésque homines omnis stetisset contentio, nunquam potuisse Pontificem adduci, vt ea acerbitate de quinque illis propositionibus decerneret, quâ eum vsum fuisse omnes pænè admirentur. Vbi verò suarum dissensionum in Belgio & Gallia Theologi etiam populum cœperint facere participem, eíque editis libris piis & Catecheticis, variísque precationū formulis, seorsim easdem instillare sententias, tum verò etiam illi, quos habebant aduersarios, hos ausus cœpissent in pessimam accipere partem, de eo verba ad populum facere, vt eum ad se pertraherent: visum fuisse Pontifici, ne quid detrimenti acciperet Ecclesia Romana, & inter se diuisa apertum latus hostibus obiiceret, ex vsu esse, vt ad Ecclesiæ tranquillitatem conseruandam, in alterutram partem aliquid definiretur; quidquid aliàs de illis propositionibus futurum esset.

Eamdem rationem semper obtinuisse in Ecclesia; homines esse, qui ei præsint, atque ita humanis etiam consiliis, humanóque modo eam gubernare: in diuinis scripturis de quinque illis propositionibus

bus nihil apertè esse determinatum; si quid enim in iis fuerit definitum, iam grauissimi erroris esse accusandos, quotquot anteà aliter senserint; sed eos immunes haberi ab errore; nunc tantùm si qui contrà mutire ausint, grauissimi criminis reos agi; nunc esse blasphema, impia & hæretica, de quibus antea licuerit dubitare; quum tamen constet, fidei articulos neque ab Ecclesia, neque à Pontifice nouos condi posse. Nihil igitur probatu esse facilius, quàm quòd ideo sint declaratæ hæreticæ quinque illæ propositiones, quia id intererat tranquillitatis Ecclesiæ, & auctoritatis potissimùm Pontificiæ; perinde atque si in Rep. oriuntur factiones, ad eas sopiendas, necesse sit, vt qui ei cum imperio præest, alterutri earum se iungat, vt alteram opprimat, nisi ipsi è re esse visum fuerit, si quidem tanta est eius potentia, vt vtramque extinguat.

Hoc verò nunc eò magis necessarium esse, quò regimen Ecclesiæ regimini politico est similius; iam enim eò rem rediisse, vt iisdem quoque artibus conseruari debeat, quibus resp. conseruatur. Romanam maximè Ecclesiam iis niti, in qua Monarchiam affectat Vrbis Romæ Episcopus; nec reliquas Protestantium Græcorúmque Ecclesias earum esse expertes, quamquam in iis magis spectetur Aristocratia aliqua, & in quibus democraticum aliquod regimen, quod in Græca Ecclesia ex Monarchia & Aristocratia mixtum esse videtur. Quibus igitur mediis vnaquæque harum rerumpub. forma conseruatur, iisdem etiam illa Ecclesiarum regimina defendi; hoc

facilè probari posse, si opus sit; inter omnes tamen eminere Romanam, in qua illa artificia paulò prudentioribus sint in propatulo. In primis in ea hoc caueri, ne quid eorum omnium, quæ aliquando quocunque modo fuerunt recepta, mutetur; id ipsis esse adeò ab Aristotele, aliísque nouis & veteribus rerum politicarum scriptoribus omnibus Rerump. rectoribus obseruari mandatum; nolle igitur Pontifices quicquam mutari, quamquam id aliàs videant vtile & salutare fore, ne ex illa mutatione, præsens Ecclesiæ status quicquā detrimenti accipiat, & quibusdam in melius commutatis, spes & vota populorum vlteriùs tendant, aliáque etiam aut restitui, aut abrogari petant: tum etiam Principes ipsi Pontifici, & Episcopis, totíque clero illa, quæ ipsorum partim liberalitate, partim conniuentiâ tenent, & se longa temporis præscriptione, & longo sæculorum vsu tueri possunt, iterùm ereptum eant. Cauere igitur diligenter Pontificem, ne de ipsius auctorite & iuribus, quæ multa ipsi tribui soleant, vnquam disceptetur, cùm ex eiusmodi disputationibus, id ferè semper soleat resultare, vt res, de qua contenditur, aut maius capiat incrementum, aut ei aliquid decedat; rarò verò in eodem statu permaneat.

Eiusmodi artes, quum Concilium Tridentinum haberetur, ita omnibus propalàm fuisse, vt de eo dubitare non liceat; multa tùm à legatis Pontificiis fuisse proposita tantùm, ad explorandos Episcoporum & Theologorum animos. Iam verò Pontificem non minùs sibi cauere à Synodis, siue vniuersalibus,

siue

siue nationalibus, quàm Imperatores sibi timere putentur ab imperij comitiis, & conuentibus circularibus statuum, atque Reges alij & Principes à parlamentis & conuocationibus suorum ordinum. Quòd si autem aliquando habitæ fuerint Synodi, tum Pontifices iisdem artibus dissidia excitasse inter Episcopos atque nationes, conatósque esse, sibi plurimos reddere obnoxios, quibus vti soleant Principes atque Reges, ne ex Comitiis & Parlamentis quicquam ad ipsos damni redeat, eorúmque potestas minuatur. Demum cauere sibi ab omnibus, quibus vnius imperium corrumpi soleat, quòd suam auctoritatem suúmque regimen iisdem aliàs corruptionibus videant esse obnoxium.

Protestantium quoque eamdem pænè esse rationem; eos iam quidem prospicere, qua in re Ecclesiam reformando errauerint; sed nunc quidem non audere ea mutare, ne populi hoc perspecto, credant, se ab iis fuisse deceptos: agnoscere eos quidem rectiùs futurum, si quispiam sit, qui omnium Ecclesiarum suprèmam, sed limitatam curam gerat, qui in officio possit continere effrænes Prædicantium animos, dominorúmque, Principum, & ciuitatum suarum libidinem coërcere, quiduis vt placet & libet mutantium. Sed vanos nunc esse & irritos omnes illos conatus; clamaturos enim complures, ideóne ex Ægypto exiuimus, vt moriamur in deserto? nunquid ideo tyrannidi Pontificiæ nos subtraximus, vt peiori & atrociori iugo colla nostra subdamus? absit à nobis, vt tam indignum facinus

nus admittamus. Si ministri nostri tam altos gerunt spiritus, age, redeamus, vnde exiuimus; melius est ferre onus, cui assueuimus, quàm cum periculo, nouo se submittere; eamdem enim videri esse rationem Protestantium, quæ sit populi, qui profligata Tyrannide, se in libertatem asserüerit, nam & hunc, si id ita res ferat, promptiùs libentiúsque ad priorem dominum redire, quàm ferre æquo animo imperium noui domini, à quo partam libertatem defensum iri sperauerint.

Cùm igitur Ecclesiarum omnium ea sit ratio, vt si illas saluas esse velint, qui iis præsunt, necessariò huiusmodi mediis & artibus illarum tranquillitati consulere, & in primis illud cauere debeant, ne quicquam mutetur, quod manifestè à populo aanimaduerti possit, néue ex indulgentia quadam, nimiáque conniuentiâ, aliqua mutatio obrepat. Mirandum non esse, si tot declarentur hæreses, tot schismata prodeant; mirandum potiùs esse, considerata Ecclesiæ amplitudine, quòd non plures majorésq; exoriantur, & Ecclesiam concutiant. Quamquam igitur, postquam ita sunt constitutæ Ecclesiæ, vix aliter fieri possit, quin vnusquisque omni studio incumbat conseruationi illius Ecclesiæ, cui præest, non tamen ideo protinus quemquam fore extorrem è regno cælorum, qui exsors hîc habeatur huius, vel illius communionis, non ideo quidem, quòd id res ipsa in se spectata postulet, sed quòd id intersit illius societatis, in qua viuit, quódque ea aliter in sua vnitate & tranquillitate contineri nequeat, nisi ille eiiciatur.

Re-

Rectè verò existimari, longè alia esse iudicia summi Numinis; neque ab insigni temeritate eos posse excusari, qui infinitam Dei sapientiam humanæ prudentiæ legibus circumscribere audeant; minimè esse probabile, Deum ter Opt. Max. cuiquam crimini imputaturum, quod ab Ecclesiarum rectoribus, non propter Dei honórem, sed propriam conseruationem iudicatur esse necessarium, dummodò illi, qui ad hanc vel illam sententiam tuendam accedunt, id nulla ambitione, aut gloriæ, & contentionis studio adducti, sed bono animo faciant; aliter enim si agant, eos punitum iri à Deo propter peruersæ & refractariæ voluntatis crimen, non verò propter errorem intellectûs. Quòd si autem quispiam sectarum, quæ hodie in plures partes Ecclesiam discerpserunt, auctores, ea intentione, ad res nouandas accessisse dixerit, immunes tamen coram Deo futuros, qui bono animo illos fuerint secuti; magnam esse humani ingenij imbecillitatem, quæ quò magis Deo est perspecta, eò sincerius etiam & æquius ab eo expectandum esse iudicium: Homines verò ita plerumque esse peruersos, & partium studio occupatos, vt paucissimi vera peruidere queant, & ambitioni, aliisque animi vitiis imputent, quod recta & simplici intentione fieri soleat.

PRÆCLVDITVR.

I. DO vltrò, pleraque nunc esse fidei dogmata, de quibus olim dubitare licuit, antequam essent definita & declarata; multa enim

enim sunt, quæ ante prædictam declarationem fideles credere non tenerentur; vt vel ipsis Tyronibus compertum est; nempe nonnulla sunt in diuinis literis, vel antiquis traditionibus, quæ cùm obscuriora esse videantur, licèt reuerà fuerint reuelata, non obligant tamen, antequam ab Ecclesia credenda proponantur. Hinc nonnulli sunt inter Patres, qui ante prædictas definitiones, vel de iis dogmatibus dubitarunt, vel omnino secus senserunt. Augustinus de animæ origine dubitare visus est, an per infusionem, an per traducem; Cyprianus in Baptismo Hæreticorum errauit, quem inualidum esse censuit; omitto alia ferè innumera capita, quæ frustra adducerem, cùm in hoc aduersarij nobiscũ sentiant. Porro quisquis controuersias fidei factionibus prætexit, Catholicus censendus nõ est. Quis, amabò, factiones conciuit, tum in Gallia, tum in Germania, Religionis ac fidei obtentu, nisi Caluinistæ & Lutherani? quis conuentus peculiares collegit, præter eos, qui à fidelium cœtu, & Ecclesia Rom. desciuerunt? Nos quidem, non certè imprudenti, sed Catholico zelo huiusmodi nouatoribus contradiximus, restitimus, & impios illorum conatus reprimere conati sumus; non propterea tranquillitatis publicæ minùs amantes, quàm isti, cum religione, perturbarunt; sine illis haud dubiè nihil vspiam turbarum extitisset: nos verò sine crimine tacere non potuimus, ne tanquam canes muti à Domino iustè ac rigidè plecteremur.

II. Rem sanè lepidam; in possessiones nostras inuo-

inuolatis, quas dum nos defendere conamur, nos turbarum & rixarum auctores appellatis, vtpote qui tranquillitati veſtræ inſidiemur! Vera fides, quam à maioribus noſtris accepimus, poſſeſſio noſtra eſt; illam impugnatis, quòd ſuccurramus, turbulenti homines ſumus. Eccleſiam matrem noſtram proſcinditis; quòd pro illa aduersùm vos ſtemus, ideo turbas illas atque tumultus nobis imputatis; filij hominum recta iudicia iudicate. Verbo dicam, niſi vos & Patres veſtri, Eccleſiæ pacem turbaſſetis, eam non ſperare quidem, ſed eâ frui modò liceret: inde vobis cogitandum relinquo, vtrùm probrum illud turbulentorum hominum nobis, an potiùs vobis conueniat? Sat ſcio, vix fieri poſſe, quin ſectæ, ſchiſmata & hæreſes oriantur, quod iam olim Seruator noſter fore prædixerat; væ tamen homini illi, per quem ſcandalum venit, & qui ſchiſmatis auctor eſt.

III. Prætereà rectè obſeruatis, eam rerum humanarum varietatem & inconſtantiam eſſe, quâ fiat, vt nullum imperium, aut reſpub. ſine factionibus & mutationibus diu ſtare poſſit; hinc tot regna, tot imperia funditùs euerſa. At vnum obſeruatu digniſſimum omiſiſtis, Eccleſiam ſcilicet Catholicam tot perſecutionibus agitatam, tot factionibus & ſchiſmatis diſcerptam, tot vitiis, vt more veſtro loquar, in membris ſuis fœdatam, euerti minimè potuiſſe, ſed immobilem & conſtantem in fidei ac morum doctrina permanere. Sed quid mirum, cùm portæ inferi aduersùs eam præualere non poſſint. Neque

eſt,

est, quòd illud humanæ prudentiæ, & politicis Romanorum Pontificum artibus tribuatis: hoc enim humanam omnem prudentiam superat; & nisi à Spiritu sancto regeretur, iam dudum variis erroribus implicita, primam fidem & antiquos mores mutasset. Hinc sanè ortis controuersiis, in materia fidei, non modò vt tranquillitati consuleret, verùm etiam vt fideles doceret, nec quemquam in re dubia, & minùs expressa fluctuare pateretur, causam definiuit, oraculum pronuntiauit, aperuitque & publicauit, quid Spiritui S. videretur; hinc orta credendi necessitas & obligatio.

IV. Quod Innocentij X. factum, in causa quinque Propositionum, ex Iansenij libro excerptarum, exempli loco attulistis, mihi sanè gratissimum accidit, cùm illustrius esse vix possit, quo Sedis Apostolicæ auctoritas demonstretur; nempe ad Pontificem octoginta Galliarum Episcopi causam illam detulerunt, & enixè ab eo postularunt, vt causam dirimeret, & quid de prædictis Propositionibus sentiendum esset, edita constitutione Apostolica, definiret: quod ille reuerà præstitit, non sine maxima laude, præsertim cùm id temerè ac præcipitanter non fecerit, sed adhibitis doctissimorum hominum consultationibus, acceptis multarum Academiarum responsis, habitis coram se variis Cardinalium congressibus, discussisque plurimis scriptis & libris; ea demum claritudine, quæ dubium omne penitùs excutiat. Nec est, quòd nimiam huius sententiæ acerbitatem exaggeretis; quidquid enim censura conti-

net,

net, in prædictas propositiones optimè quadrat, Protestantes ictum quoque senserunt : hinc Samuel Maresius grauiter de hoc iudicio questus. Nec est, quòd dicatis, omnes pænè admirari, Innocentium tanta vsum esse acerbitate; cæteros fortè præ vestris nullo habetis loco; si enim hæreticos, detractis duntaxat Arminianis, & Iansenianos excipiam, reliquis haud dubiè prædicta Innocentij constitutio gratissima accidit ; porro isti maiorem, ni fallor, partem componunt.

V. Rectè autem monetis, eò adductum esse Innocentium, ne quid detrimenti Ecclesia acciperet; nempe errores suborti maximum afferre solent, cùm multa membra corpori Christi, & optimæ Parenti multos filios subducant. Itaque vt verum à falso fideles distinguerent, illud oraculum edidit, non tantùm maioris tranquillitatis gratiâ, quæ vix vnquam in eiusmodi factionibus obtinetur, sed præsertim, vt intelligeremus, quid certa fide tenendum esset de prædictis propositionibus; tales enim censuit, quales reuerà sunt. Et licèt Romanus Pontifex homo sit, & humanæ rationis lumen adhibeat, nec enim cæco modo fertur, sed res diligenter discuti & explanari curat; in edendis tamen huiusmodi oraculis, errare non potest, cùm à Spiritu sancto regatur, vt iam suprà probatum est; alioquin frustra illum Galliarum præsules, quorum plerique longè doctiores erant, interrogassent, nisi ab eo Catholicum, & omnis erroris immune responsum expectassent. Nec est, quòd vlli assentationi quispiam id

 tribuat,

tribuat, cùm illi Episcopi, præ cæteris, sint suorum iurium & auctoritatis retinentissimi, nec ij, qui Romano Pontifici quidquam tribuant, quod ipsi iure non competat: itaque tam illustri patentíque testimonio suprema Romani Pontificis dignitas, auctoritas, &, vt vocant, infallibilitas mirificè confirmantur.

VI. Expressa sunt, mihi credite, in sacris Scripturis loca, quibus quinque propositionum falsitas conuincitur; quid enim expressius, quàm libertas ad vtrumlibet? Christum pro peccatis totius mundi mortuum esse? homines nonnunquam Spiritui sancto ac diuinæ gratiæ resistere? mandata Dei possibilia esse? &c. Prætereà licèt nihil de iis apertè determinatum esset, modò implicitè, vt vocant, aliquid in Scriptura, vel in antiquis traditionibus contineatur, vnde falsitas illa ostendi queat, id satis esse videtur, ad hoc, vt Ecclesia rem definiat, & Propositiones illas iustâ censurâ configat; talis enim fuit Ecclesiæ vsus, & praxis; sic in causa Arij, Macedonij, Nestorij, Eutychetis, Donati, Nouatiani, aliorúmque actum est. Et miror, subtilia & perspicacia ingenia hîc cæcutire; quis enim nescit, nouos fidei articulos ab Ecclesia non condi, id est, nouas non edi reuelationes; licèt illa multa definiat & declaret, quæ antè reuelata fuerant, non tamen ea claritudine, quæ citra nouam declarationem & definitionem, ad credendum obligaret: hinc diuinam fidem, lumen infusum esse dicimus, quo à Deo reuelata, & ab Ecclesia ad credendũ nobis proposita credimus.

VII. Hinc

VII. Hinc edita constitutione Innocentij, illæ Propositiones blasphemæ, impiæ, & hæreticæ censentur, quæ priusquàm edita esset, sine vllo errore defendi poterant, ab iis scilicet, quibus de illarum expressa falsitate & impietate non ita constabat, modò inculpata esset ignorantia. Nec probatu facile est, quòd ideo declaratæ sint hæreticæ, quia id intererat tranquillitatis Ecclesiæ; & auctoritatis Pontificiæ; quod nullatenus probari potest, cùm falsissimum sit: quasi verò intima cordis Pontificij penetralia & arcana penetraueritis, eiúsque animum, ac finem, quem in edenda illa constitutione sibi proposuit; hoc sanè diuinare est, ne dicam impunè nugari & mentiri. Eo fine, mihi credite, Pontifex ex cathedra pronuntiauit, vt Episcopis interrogantibus in materia fidei responderet; vt obrepentes errores arceret; vt fideles veram doctrinam doceret; vt controuersiam, quod ipsi ex officio incumbit, tolleret; vt demum certa ab incertis, vera à falsis, & Catholica dogmata à gliscentibus erroribus distingueret. Ex his autem, quòd tranquillitas, seu pax inter partes sequatur, optandum quidem erat, vix tamen sperandum; nempe illi, qui factionis studio, ad defensionem quarundam opinionum, quas deinde erroneas esse constat, animum applicuerunt, vix vnquam cantatâ palinodiâ resipiscunt; vnde fit, vt Pontificia oracula prædictam illam tranquillitatem non afferant; immò potiùs tumultus augeant. Hinc eò potissimùm spectant, non quidem vt factiosos errantes reducant, quod vix vn-

quam accidit, sed vt simpliciores, qui vno duntaxat religionis studio ducti, errores defenderant, accepto Ecclesiæ iudicio, eosdem relinquant; & Catholici de fidei dogmatis certiores facti, nullum erroribus aditum præbeant.

VIII. Ecclesia quidem Romana ea humanæ prudentiæ adhibet adminicula, iísque artibus remp. administrare, ac Dominicum Gregem regere solet, quas recta ratio & æquitas postulare videntur. v. g. doctorum ac prudentum hominum consilia, frequentes deliberationes, optimorum magistratuum, & administrorum delectum, aliáque id genus adhibet, quæ in optima quaque rep. administranda adhiberi solent; hæc fusè omnino prosequi valerem, si res postularet. Sed cuncta hæc frustra essent, nisi Spiritus sanctus adesset, eiúsque ductu cuncta pro votis succederent. Quòd autem ad Monarchiam accedat, negare non possum; conciliorum tamen auctoritate integra seruata, quæ vniuersalem Ecclesiam repręsentant, potiora scilicet & nobiliora cum supremo capite membra. Quæcumque porro regiminis forma à Græcis & Protestantibus vsurpata sit, perinde est; quid enim ad nos? Ideo verò nihil eorum, quæ definita sunt, mutari sinit; quia quod semel de fide est, semper est; nec Ecclesia Romana fidei dogmata mutare potest: nonnulla sunt, fateor, quæ citra errorem mutari possunt, vt ea, quæ ad ritus pertinent, quæ si quando mutanda esse recta ratio postulat, illico mutari Ecclesia constituit, neque id religioni ducit, quod sæpe ac sæpius factum

ctum esse, historiarum monumenta testantur.

IX. Nec magis timet, ne Christiani Principes Ecclesiastica bona auferant, quàm ipsi Principes timeant, ne alieni in eorum ditionem inuadant, nempe hi meliore iure sua non possident, quàm Ecclesia suis fruatur; neque ius, quod ex pia donatione resultat, eo deterius est, quod armorum vi acquiritur: suam porro auctoritatem integram seruare tenetur Ecclesia, quam ne quidem, si vellet, abdicare licitè valeret. Disputationes de auctoritate Romani Pontificis, vt plerumque inutiles, Ecclesia non probat, præsertim cùm illam sibi duntaxat arroget, quam certa fide omnes Catholici tenent: si quid vltra eidem aliqui tribuunt, admittere, vel reiicere liberum cuique esse debet; quia disceptationes huius secundi generis rixas & factiones, vt plurimùm excitare solent, nec non Principibus suspicionem iniiciunt, ab iis abstinere longè satius est.

X. Quod de Tridentino subnectitis, ab auctore vestro accipitis; sed nos eius dictis & fide non stamus; hîc non hæreo, nam in recèns edita historia habetis, vnde augustæ & sacræ Synodo affictæ calumniæ efficaciter refellantur, eáque omnia elidantur, quæ Romanis Pontificibus, hac in parte, opponi queunt. Vt autem dicam, quod res est, hoc loco vnum grauiter peccatis; nempe Christi Ecclesiam pro congregatione vel republ. merè sæculari, vel temporali, vt aiunt, accipitis, ac proinde, quæ humanis & politicis duntaxat rationibus regatur, nec quidquam ab eo expectet, qui impugnari quidem

illam, nunquam tamen expugnari patietur. Si qui fortè Ecclesiastici sese negotiis sæcularibus implicant, aut in prudentiâ carnis & vanâ Politicâ suas spes omnes collocent, in hoc profectò non laudo; illi certè in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini magnificabimus; iisdem igitur artibus Ecclesia non permanet, quibus humana imperia seruantur; si quid ampliùs subsidij non adesset, iam dudum Ecclesia corruisset.

XI. Quòd plura in dies à Romano Pontifice non declarentur, facit negotij arduitas; nec enim quicquam temerè definit; sed auditis doctorum hominum sententiis, & omnibus ritè ponderatis atque discussis; præsertim cùm multorum salus id postulat. Hinc tam graues sunt controuersiæ ad Sedem Apostolicam delatæ, quas hactenus definiendas esse non putauit, licèt multi apud sanctam Sedem instarent: duas illas celebres exempli loco indicare sufficiat, quarum prima ad rem immaculatæ Conceptionis Deiparæ, altera ad quæstionem de auxiliis pertinet. Cæterùm quòd putetis, neminem regno cælorum extorrem fore, quòd Ecclesiæ definitionibus non acquieuerit, erroneum est; quisquis enim Ecclesiam non audit, sicut Ethnicus & Publicanus nobis esse debet; neque in hoc infinitam sapientiam humanæ prudentiæ legibus circumscribimus, sed Christi verbis stamus, qui hanc iudicandi potestatem Ecclesiæ reliquit; si Ecclesiam parentis loco habetis, cur eius imperio non paretis? cur eius dictis derogatis fidem? si autem in ea matrem non agno-

scitis,

ſcitis, in Deo Patrem non habetis; quid mirum ergo, ſi hæreditate excidatis?

XII. Omiſeram, quod de Proteſtantibus habetis, quos in reformanda Eccleſia erraſſe, vltro fatemini, ſed perperàm ſtatuta & credita, ab iis minimè mutari, ne populus præteritum errorem agnoſcat. O candidæ & probæ fidei homines! errorem agnoſcunt, ſed populi metu retractare non audent; hoc autem bonæ fidei & inculpatæ ignorantiæ loco vobis erit: Dij meliora! de æterna ſalute agitur, quam ſine recta fide conſequi non valemus; errores ſectæ veſtræ agnoſcitis, eóſque eiurare, humanis duntaxat rationibus ducti, recuſatis. Sed, antequam abſoluam, repugnantia dicitis, erraſſe Proteſtantes fatemini; cùm tamen ſubnectatis, eos profligata Tyrannide ſe in libertatem aſſeruiſſe; quæ, amabò, libertas, nouis errorum vinculis implicari? vera libertas filiorum Dei in vera fide & charitate non ficta poſita eſt, qua libertate Chriſtus nos donauit; ſed vbi error eſt, vera fides eſſe non poteſt; de charitate veſtra iam ſuprà dictum abundè, quòd Tyrannidem Pontificiam appelletis, inter ſolita vobiſque familiaria conuitia reponendum eſt.

EFFVGIVM XXII.

Ducitur ex inſigni fidelium paucitate.

Qui igitur, inquiunt, diuina iudicia ex ſuo ingenio metiri auſint, iis conſiderandum eſſe, ad quam inſignem paucitatem, Eccleſiam omnem

omnem redigant, & saluandorum numerum intra quàm arctos limites restringant; quam tamen Ecclesiæ Christianæ, præ Iudaica, insignem fore amplitudinem, ex diuinis prædictionibus constet. Iam verò si totus terrarum orbis in XXIV. æquales partes dispertiatur, quinque earum tantùm teneri à Gentibus de nomine Christiano notis, sex ab iis, qui Machometis impuram legem sectantur, tredecim reliquas adhuc densis Idololatriæ tenebris esse obsessas. Neque verò esse Gentes illas omnes, quæ adhuc hodie idola colunt, ita barbaras, hebetísque ingenij, atque vulgò creditur, sed plurimas illarum ita esse exultas, vt quibusuis aliis nihil concedant; neminem de eo dubitaturum, qui mores & ingenium Sinarum, Tartarorum, atque plurimarum aliarum gentium Indicarum perspexerit. Iudæos in hunc censum non venire, cùm inter omnes dispersi agant; fuisse eos quoque olim longè numerosiores; & si fides sit Philoni historiam Legationis suæ ad C. Caligulam Imp. contexenti, tanto eos numero extra Syriam & Palæstinam, potiores vtriusque Asiæ, Africæ, & Europæ vrbes, & vicos complures insedisse, vt indigenis propemodùm essent pares.

Quum igitur Christiani quinque tantùm partes orbis terrarum teneant, cauendum esse illis, qui solis Romanæ Ecclesiæ, aut cuiuscunque alterius cœtûs finibus, veram fidem & Ecclesiam circumscribunt, ne quid Donatistici erroris eorum sententia sapere videatur; quúmque rectè paucitatem quorundam fanaticorum sibi solis Ecclesiæ nomen

arro-

arrogantium irrideant, ne in eadem absurda incidant; collato Catholicorum, aut Protestantium, aut Græcorum numero, non tantùm cum reliquis omnibus, qui prætereà Christiani audiunt, sed etiam cum iis, qui à sacris Christianorum alieno sunt animo, considerandum illis esse, si Africanos omnes, & patentissimas illas Abassinorum Ecclesias, si quidquid reliquum est in toto Oriente Christianorum, quorum ingens sit numerus per tot amplissimas Prouincias, longè latéque diffusus, si in ipsa Europa, Russiam omnem, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Norwegiam, Sueciam, deinde magnam Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Belgiíque partem reiiciant, quid Ecclesiæ Christianæ reliquum sit futurum, & quàm parua sit futura particula, si ea cum reliquis comparetur.

Ipsos illos, qui se appellant Catholicos, ceu ab ipsis orbis Christianus dependeat, si plurimum ipsis concedatur, etiam post diffusam cum dominatu Hispanico in vtramque Indiam religionem Catholicam, vix tamen duas obtinere partes, de quinque illis, quæ à Christianis gentibus sunt insessæ: magnam quidem esse amplitudinem prouinciarum Indiæ Occidentalis, sed ex iis, paucas integras Christiana fide esse imbutas; passim tantùm portus & maritima teneri ab Hispanis: quidquid prætereà est gentium in locis mediterraneis, & à mari remotioribus, aut nullis certæ religionis legibus teneri, aut more reliquorum Gentilium, solem, lunam & reliqua astra, aut etiam idola colere, tum etiam ingentes

tractus ab Anglis, Belgis, Suecis, atque Gallis reformatis esse occupatos.

In Orientali India, non magnos, si Goanam Insulam, & hinc inde vrbes aliquas & portus excipias, à Catholicis esse factos profectus; de Sinarum quoque regione plus iactari à Patribus Societatis Iesu, maiorémque de ea esse famam, quàm res se habeat: Iaponiam omnem iterum ad pristinam fœditatem rediisse; esse etiam Anglis & Belgis suas in vtraque India Ecclesias; tandem etiam vix quotannis tot homines barbaros in vtriusque Indiæ Prouinciis è summa barbarie ad cultiorem vitam & fidem Christianam traduci, quot singulis annis, ex Italia in primis, Sicilia etiam, & Hispania casu à Turcis in captiuitatẽ abducti, sponte sua, eiurata religione Christiana, ad Machometismum transeant. Quamquam igitur magnus satis vniuscuiusque partis, si separatim considerentur, & in primis Catholicorum, atque Græcorum sit numerus, esse tamen eum minorem, cum cæteris omnibus collatum, quàm id Prouidentiæ Diuinæ videatur esse consonum; omnibus præsertim illis Ecclesiis, à tanto iam tempore, & in primis Orientalibus, à Romana Sede seiunctis; vt vel longa illa duratione, à diuina prouidentia non videantur omnino improbari; appellationem nominis Catholici olim quidem contra palantes quosdam cœtus, dispersásque hinc inde particulas à reliquis omnibus Ecclesiis, ritè & meritò fuisse adscitam; nunc verò esse partis tantùm nomen,

nomen, in qua illud propter Sedis Romanæ dignitatem præcipuè retentum est.

PRÆCLVDITVR.

I. Ecclesiæ Christianæ amplitudo ea est, siue in diuersarum nationum populorúmque varietate consideretur, siue in vastitate regionum atque terrarum, siue in Christianorum multitudine, quæ Iudæorum Synagogam longo superet interuallo; vt vel inde diuinæ prædictiones euentu comprobatæ esse videantur; quamquam id temporis spectant, quo gentes omnes, & ipsi Iudæi ad Christi fidem conuertentur, fiétque vnum ouile, & vnus pastor. Quòd Philo suorum Iudæorum immensum propemodùm numerum extollat, non mirum, cùm Christianos in suo censu complectatur, vt iam olim Patres obseruarunt, cùm de suis Essenis loqueretur, quos certè Christianos fuisse, perspicuum est.

II. In vestro porro censu multa possem, saltem in dubium reuocare, si res ita postularet; multi enim negarent, mediam hominum partem Idololatriæ tenebris obsessam esse; nempe vastissimi terrarum tractus versus vtrumque polum, incolis adeò frequentes non sunt. Præterea quòd dicitis, in India Occidentali portus tantùm & maritima ab Hispanis occupari, Historiarum monumentis repugnat; cùm ipsi quoque maiorem mediterraneorum partem teneant. In Africa pauci sunt Idololatræ, nulli in

in Europa; Tartariæ pars cum Sinarum regno, Iaponicis Insulis, & modica Indiæ portione, Idola colit. Quòd habetis, ingentes tractus à Belgis, Batauis scilicet, in America occupatos fuisse, nonnulli ridebunt; expulsis enim Brasiliâ, quid amabò restat? In quo verò tractu Galli reformati, seu Caluinistæ suarum victoriarum fructu & lucro fruantur, in mappa non inuenio, cùm in noua Francia nihil possideant; Angli in ora Virginiæ aliquot tuguriola tenent; Sueci parum, aut nihil.

III. Quòd Ecclesiæ Græcæ ritus olim latiùs patuerit, quàm modò Latinæ, nō deerunt, qui negent: Goana insula rei Christianæ in India, modica pars est: apud Iapones fidem Catholicam atrocissimis persecutionum fluctibus agitatam fuisse, in confesso est, sed non sine vbere sanctarum palmarum fructu. Quid apud Sinas à Patribus Societatis hactenus actum sit, loquuntur libri, quos si legere tædet, breuem narrationem P. Martini saltem legite, in qua breuissimam quidem, sed accuratam singulorum euentuum seriem habetis. Quòd autem Patribus Societatis vanæ iactantiæ notam inuritis, nouum certè vobis non est; cùm Hæreticis solemne sit, multa huic hominum generi affingere; habent Angli & Bataui in Indiis Orientalibus suas colonias, quod certè dolendum; illi enim Catholico nomini non parùm infensi, Catholicæ fidei propagationi non parùm hactenus obfuerunt. Quòd demum asseritis, tot saltem quotannis ex Italia & Hispania, eiurata religione, Machometis legem amplecti, quot à

nostris

hostris ad Christi fidem conuertuntur, apertum mendacium est, quod fortè audistis in odium earum nationum, quæ nullos hæreticos admittunt.

IV. Sed demus hæc, admittamúsque ex XXIV. partibus, in quas totum terrarum orbem distribuistis, quinque duntaxat Christianis, & ex quinque duas Catholicis concedendas esse; sit ità, vt vultis, ac dicitis; duodecima igitur totius orbis pars Catholicam fidem profitetur; an fortè modicum quid vobis videtur? Mihi credite, quod de hac paucitate adeò conqueri, ac proinde vel ipsam Dei sapientiam & bonitatem, lite intenta, in ius quasi trahere ausi sitis, mirum omnibus accidet; cùm enim adhuc sexta ferè orbis pars exploranda restet, vastissimi enim tractus in America boreali etiamnum latent, temperatæ zonæ australis, nihil dum ferè apertum est, si extremos Africæ & Americæ vngues excipiatis, decima igitur pars orbis cogniti Catholica est; & hoc parum videtur?

V. Vix ego tantam rei Catholicæ amplitudinem adstruxissem, vtpote qui sciam, multos quidem vocatos ad fidem fuisse, paucos verò electos, diuino id testificante oraculo. Nec est, quòd nobis Donati errorem affingatis, à quo quantum absimus, Donatus ipse ab Ecclesia Romana damnatus testari posset. Fides est donum Dei, ad quod recipiendum, licèt naturæ viribus animum nostrum disponere non possimus, eos tamen obices, eáque impedimenta tollere valemus, quibus reuerà sublatis, diuina gratia suum in nobis effectum longè faciliùs sortitur;

ad

ad hoc viribus & neruis opus est; regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; vix credi potest, quàm passim sancti Patres Electorum paucitatem exaggerent; cùm semper is fuerit Ecclesiæ sensus.

VI. Quòd demum ad diuinam prouidentiam confugitis, cui consonum esse non videatur, quòd tam pauci finem illum obtineant, ad quem ab ea homines destinantur; per illam haud dubiè non stat, quò minùs omnes saluentur; Deus enim vult omnes homines saluos fieri, si tamen ipsi velint; & pro peccatis totius mundi clementissimus Seruator sanguinem fudit, quod nescio an Protestantes & Caluinistæ vestri daturi sint; Arminiani fortè inficias non ibunt; in hoc autem errore Ianseniani ab Innocentio X. damnati sunt. Quòd autem multi diuinæ huic voluntati minimè obsecundent, sed Spiritui sancto resistant, ac vocantem sequi renuant, Deo imputare stultum est, per quem non stat, quò minùs, eius opitulante gratia, saluemur. Porro diuturnitas illa temporis errantes non excusat; alioquin Turcæ, immò & ipsi Iudæi hoc antiquitatis priuilegio gauderent, quod absurdum sanè dictu est. Catholici demum nominis appellatio eadem semper fuit, quæ modò est; semper enim eo donati sunt, qui veram Christi fidem profitebantur, & veræ Ecclesiæ, Romanæ scilicet, adhærebant.

EFFV-

EFFVGIVM XXIII.

Ducitur ex eo, quòd prudentiores Theologi statuant, Protestantes propter infidelitatem minimè damnatum iri.

PRudentiores quosque Theologorum Catholicorum statuere, si Protestantes æterna salutē excidant, eos damnatum iri, non quidem propter infidelitatem, sed quòd ex hac mortali vita nequeant excedere, Sacramentis omnibus ritè procuratis; quòd non possit ita facilè in cordibus eorum, tam valida excitari contritio, quæ commissa peccata deleat; quòd nemo sit, qui confitentes absoluat, quíque confessis peccata sua salutarem iniungat pœnitentiam; quòd corporis & sanguinis Domini nequeant fieri participes, quorum sumptione & vsu eò ardentiùs ad res diuinas inflammentur; quum nemo sit, qui ea conficiendi habeat potestatem, deficiente in Protestantium cœtibus legitima ordinatione: Destitui eos, propter eamdem causam, singulari virtute Chrismatis, quâ aduersus Satanæ insultus, instar fortium Athletarum muniantur. Quòd si igitur hæc saniorum Theologorum in Ecclesia Catholica sententia recipiatur, iam Græcam Ecclesiam res suas sibi saluas habere, nec quicquam in ea reperiri, quare possint Græci dici exsortes regni cælorum; neque enim nuda tantùm nomina Sacramentorum ab eis retineri, sed etiam omnia & singula

gula validè & legitimè in ea administrari & conferri.

De Sacramento quidem Confirmationis posse fortassis à quoquam dubitari, quum à Synodo Tridentina definitum fuerit, eius ministrum ordinariũ solum esse Episcopum; sed si quis vtriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ consuetudinem perpendat; vt hæc non malè agat, quòd mori ab antiquo recepto insistat, neque intra Ecclesiæ suæ fines, nisi ab Episcopis hoc Sacramentum conferri patiatur; ita verò etiam Latinos non omnino damnare Græcę Ecclesiæ consuetudinem, idem ius etiam presbyteris tribuentis. Accedere etiam quorumdam è Soc. Iesu cum Episcopis Gallicanis concertationes, contra quos tuendũ susceperint, posse etiam à presbyteris, si opus sit, conferri Sacramentum Confirmationis, adeóque potuisse id ab eis præstari in Anglia. Quum igitur in Græca Ecclesia omnia Sacramenta legitimè administrentur; quum ritè validéque absoluant, & de legitimo eorum ministerio, atque sacerdotio res sit aperta, infidelitatis autem accusari minimè queant, causam nullam esse, quare Gręcam Ecclesiam damnare quisquam debeat; quare etiam, qui in ea nati & educati sunt, non possint in eadem, saluâ conscientiâ, persistere, & in eius communione vitæ finem expectare.

Qua autem ratione Græca Ecclesia Catholicæ membrum haberi possit, eâdem tentandum esse, an non Protestantium quoque Ecclesiæ ad eam reduci possint. Primò igitur quin Baptismus in eorum Ecclesia

clesia ritè validéque administretur, à nemine dubitari: matrimonium ab eis, omnium cōsensu, legitimè retineri, neq; enim si fortè par coniugum ab Ecclesia Protestantium ad Romanam redeat, iterum eos benedici; Sacramentum extremæ Vnctionis non esse ita necessarium, vt omitti nequeat; plurimos in Ecclesia Romana sine ea decedere, de quorum salute nemo dubitet; neque hodie ampliùs ad recuperandam sanitatem adhiberi; licèt ad hunc finem fuerit instituta. Potissimam esse controuersiam de Sacramentis Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Ordinis, quorum valor & efficacia à legitima Ordinatione dependeat; eam verò ideo tantùm negari Protestantium Ecclesiis, quòd non sint ordinati ab Episcopis, quos hodie habent Sacerdotes. Id verò non concessuros plerosque Anglos, qui ordinem Episcoporum retinuerint, quíque asserant, suos Episcopos & Presbyteros ab Episcopis in Romana Ecclesia ordinatis, & puriorem deinde fidem amplexis esse consecratos; tantumdem esse dicturos quosdam in Sueciæ, Daniæque regnis.

Quid autem de cæteris, quos constet ordinatos quidem à Presbyteris, qui ab Episcopis cum Romana Sede coniunctis ordinem suum accersant, adeò vt res omnis eò redeat, an Presbyteri à Presbyteris ordinari queant. Fatendum quidem esse, aliter passim fuisse obseruatum in vetere Ecclesia, aliud quoque in omnibus Ecclesiis Christianis antea obtinuisse, & fortassis esse institutionis Apostólicæ; in promptu tamen esse exempla quædam vetustissi-

morum Christianorum, ex quibus Presbyteris etiam hoc fuisse concessum constet; non posse ea aliter accipi, nisi in diuersum & alienum sensum verba torqueantur; esse eam disquisitionem tam ex Epistolis Apostolicis, quàm ex antiquitate Ecclesiastica impeditissimum. Quamquam igitur iam à tot sæculis aliter sit receptum, & fortè is ordo ipsa Apostolorum ætate cœperit, nondum tamen esse euictum, nullam esse omnino eiusmodi ordinationem, etiamsi modo & ritu non omnino licito fiat; statuendum enim esse, Deum non ideo subtracturum gratiam suam, perinde atq; de iis, qui per Simoniam irrepunt; emptísque & licitatis suffragiis, credi oporteat: si enim deinde populi & Cleri acceptatio & consensûs accedat, suppleri à Diuina gratia, quod propter obreptionem illam profanam primò defuisse existimandum sit; quum enim nemini non constet, quòd Simoniæ vitio etiam in Romana Ecclesia nihil sit communius, atque in iis etiam locis, quæ præ reliquis vti nomine sanctitatis eminent, ita etiam sanctimonia maiori stare debeant, etiamnum hodie, sed olim in primis nihil fuerit frequentius.

Cogitandum esse, quanta sit oritura confusio, quæ anxietas, vel potiùs desperatio, si propter, siue aperta, siue occulta Pontificum, Episcoporum, & Sacerdotum turpiter & per ambitum se sacris ingerentium crimina, pium & deuotum populum diuinâ gratiâ, quam Sacramenta conferant, nullâ suâ culpâ defraudari dicamus. Quòd si igitur valida sit, etiam apud Protestantes, ordinatio, iam etiam eam-

dem

dem cum Græcis eorum fore rationem; posse etiam pro Ecclesiis Protestantium excusandis hoc afferri, quod Tertullianum multi magni viri, inter quos Grotius, Rigaltius, aliíque sensisse statuant, posse etiam à Laico, si necesse sit, Eucharistiam confici; quò faciet Frumentij quoq; Exemplum apud Theodoretum & Sozomenum, casu ad Indos delati; deinde quòd Catholici etiam nonnulli Theologi statuant, posse aliquem, si id vltima postulet necessitas, in fine maximè vitæ peccata confessum etiam à laico absolui.

PRÆCLVDITVR.

I. VEl vnum ex iis prudentioribus Theologis Catholicis appellare debuissetis; nullus enim, qui Catholicus sit, ita sentire potest; quis enim neget, hæresim, peccatum esse, illúdque grauissimum, atque adeò ab æterna salute excludere? quis autem dicat, errores Protestantium & Caluinistarum inculpatè ab iis teneri? esto enim nonnullorum ignorantia inculpata sit; quis amabò, id de omnibus dicere queat? quàm pauci sint, quos ignorantia inculpata excuset, primo & secundo libro fusè ostendi; vnde præcipuum, immò & vnicum huius Effugij ruit fundamentum: equidem, vt iam suprà monui, Protestantes & alij, qui ab Ecclesia Romana desciuerunt, necessariis Sacramentorum nostrorum suffragiis carent; sed hic defectus ex primario illo fonte sequitur, errore scilicet &

ſchiſmate, cuius reos eſſe, in confeſſo eſt.

II. Porro inter Sacramenta, nonnulla ſunt ad ſalutem neceſſaria, vt Baptiſmus, Pœnitentia, Euchariſtia; ſine Matrimonio facilè ſaluari poſſumus; immò vita cœlebs longè aptior & commodior eſt ad felicitatem obtinendam; extrema Vnctio, licèt reliquias peccatorum expungat, abſolutè tamen neceſſaria non eſt; idem prorſus de Confirmatione dictum velim; quamquam hæc ad Chriſtianam luctam, hominem non parùm roborat, atque confirmat. Sacra ordinatio ad Euchariſtiam & Pœnitentiam neceſſaria eſt; nemo enim, niſi Sacerdos ſit, aut Corpus Chriſti conficiat, aut pœnitentem in Sacramento Pœnitentiæ abſoluat.

III. Græcorũ Sacramenta, modè debita materia & forma à vero miniſtro adhibeantur, optima ſunt; quis hoc neget? De Baptiſmo, Euchariſtia & ſacris ordinationibus dubium nõ eſt; quamquam Ruſſi & Moſchouitæ maiorem vim aquæ, quàm par ſit, calici infundunt, vt non paruum de ſufficiente materia dubium ſuperſit. Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ rectè adminiſtrent, valdè dubito, cùm in eo parùm ab iis differant, qui perperàm cenſent, inſtitutum eſſe ad remiſſionem pœnæ, non culpæ: Confirmationis Sacramentum à ſimplici Sacerdote conferri poſſe, non diffiteor, ſed ex delegatione Apoſtolica, quâ Græci cùm careant, hoc Sacramentum rectè non adminiſtrant. Nec quidquam aliud Patres Societatis Ieſu dixerunt, vtpote qui probè ſcirent, ordinarium huius Sacramenti miniſtrum eſſe

Epi-

Episcopum; delegari tamen posse Sacerdotem, cum plerisque aliis dixerunt, auctoritate scilicet Apostolica.

IV. Itaque cùm præ cæteris, propter diurnos lapsus, Sacramentum Pœnitentiæ necessarium sit, esto, ipsi debito ritu & formâ illud administrent, deest tamen approbatio & iurisdictio; sine his enim Sacramentum hoc validum non esse Catholica fide tenemus: quòd autem iurisdictione omni hæretici careant, extra controuersiam est. Sed, inquies, saltem in mortis periculo sacerdos quilibet absoluere potest; rectè, sed quàm multis extra mortis periculum Sacramentalis absolutionis beneficium confertur? Igitur iam constat, eos duntaxat posse absolui, qui errore inculpato tenentur, & in extremo mortis periculo constituti sunt; quorum si vel alterum desideretur, Sacramentum irritum censetur. Vnde constat, quàm pauci huius beneficio gaudeant; rarò enim accidit, vtramque conditionem simul esse coniunctam; quis autem illius Ecclesiæ miseram sortem non videat, in qua nemo, nisi inculpatâ ignorantiâ teneatur, atque immineat mortis periculum, saluari potest; ac proinde in qua nemo per se, sed per accidens, vt aiunt, saluus fiat.

V. Idem pro Anglis dictum sit, dum apud illos ministri rectè ordinati extiterunt; nunc enim vel nullus ampliùs apud illos est, qui ad sacros ordines à potestatem habente promotus sit, vel si quis adhuc restat, inutilis est; nec enim Sacramentum Pœnitentiæ ipsi admittunt; vt neque ipsi protestantes,

& Caluinistæ; præterquàm quòd isti sacras ordinationes reiiciunt, nec vllum, qui rectè initiatus sit, habent, si fortè multos apostatas excipiamus; qui tamen & iurisdictione & approbatione carent, nec vllum adhibent sacrorum ordinum vsum, seu ministerium, cùm hæc Lutheri & Caluini dogmatis repugnent. Quòd sacerdotes à sacerdotibus ordinari velitis, inane est; cùm certum sit, sacerdotem ordinarium saltem ministrum non esse, & quamquam delegari posse ad id muneris, vobis daretur, auctoritate scilicet Apostolica, vestros tamen delegatos nunquam fuisse, nemo ignorat.

VI. Exempla, quæ prætexitis, vel ficta sunt, vel cùm errorem contineant, exemplo esse non possunt. Quod pertinet ad Patrum loca, mihi credite, iam toties discussa sunt, vt res ista minimè refricanda esse videatur: alium sensum in iis esse dicitis, quàm eum, quem Catholici afferunt; pro locis sacræ Scripturæ, quæ ad confirmandos errores vestros afferre soletis, eadem lis est; quis porro Iudex in his controuersiis, quem sanè in Ecclesia minimè desiderari suprà euicimus. Vos talem sensum exponitis, quem nos Catholici legitimum esse negamus; quis porro nodum soluet? ille profectò, cui clauis scientiæ à Christo relicta est: Petrus scilicet, eiúsque successores: & verò nisi aliquem iudicem in controuersiis fidei haberemus, fides nostra, quæ certa esse debet, semper nutaret.

VII. Quod habetis de iis, qui ad sacros ordines simoniacè promouentur, ridiculum est; vix vnus

ex

ex millibus ita promouetur; si de beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis sermo esset, non diffiterer, nonnihil in eo peccari; quamquam enim maior pars sana est, fieri tamen non potest, quin tanta in multitudine nonnulli delinquant. Prætereà, esto, aliqui ad sacros ordines simoniacè promoueantur, quid tum? peccant illi quidem; ordinatio tamen valida est; nec quisquam Catholicus hoc negat. Marcus Anton. de Dominis secus sentiebat, sed multi egregiè illum refutarunt; vt Becanus, Floridus, &c. Sed hunc locum omittere noluistis, vt Pontifici aliquid conuitij aspergeretis; mirum est, quòd Bullæ Iulij II. non memineritis, in qua damnatur & irritatur Electio simoniaca; sed de hac iam multa multi; vno ferè verbo nodum hunc soluo; nempe Deus nunquam permittet, vt is, cuius Electio irrita sit, ab vniuersa Ecclesia pro legitimo Pontifice habeatur; pro aliis dignitatibus Ecclesiasticis, nullum periculum est.

VIII. Mirum autem mihi accidit, quòd caput istud adeò vrgeatis, vestrorúmque sacerdotum ordinationes exaggeretis; nullos enim Protestantes & Caluinistæ habent sacerdotes, quos è medio tollunt: præterea nullum Sacramentum Pœnitentiæ admittunt; frustra ergo sacerdotes essent, qui Sacramentalis absolutionis beneficium impertirentur. Factum illud Frumentij iam alij discusserunt, etenim vel fictitium est, vel errore fœdatum; præterquàm quòd ab Athanasio Episcopali charactere donatus fuit, & in Indiam remissus. Apud Tertullianum quod ipsi

affingitis, non inuenio; & quamuis ita sentiret, in hoc quoque errasse diceretur. Auctoritas Grotij & Rigaltij, in rebus fidei, nihili facienda est, vtpote suspectorum hominum. Quod demum vltimo loco subnectitis, à laico, si id postulet necessitas, pœnitentem absolui posse, nemo iam Catholicus admittit; nempe in Trident. definitum est, huius Sacramenti solum sacerdotem ministrum legitimum esse; si aliqui doctores secus sensisse videntur, de absolutione à censuris intelligendi sunt: quamquam inficias non eo, quin nonnulli etiam inter Catholicos, nimiâ sentiendi licentiâ abutantur; non tamen eorum sensa probat Ecclesia; sed si quando eorum libri ad censores deferantur, illico configuntur.

EFFVGIVM XXIV.

Ducitur ex conuersione Barbarorum ad fidem Protestantium aut Caluinistarum.

ID quoque considerandum esse, si quidem nonnullis in rigida illa & crudeli opinione perseuerare placeat, quid futurum putent de gentibus illis, in America Septemtrionali, aliisque prouinciis, versus polum sitis, si quæ ab Anglis, Belgis, Suecis, Danis, nam illi eas oras aut coloniis insederunt, aut nauibus frequentant, ad fidem quidem Christianam, sed sicuti illi eam profitentur, sint traductæ. Aut verò si Belgæ in Iaua maiore, aliisque insulis, quas tenent, & vbi sacras habent ædes, fortè Indos

ali-

aliquos ad fidem Christianam perducant : an in hos quoque eadem sententia ferri debeat ? sed nullam eos aliam fidem cognouisse ; non patére Catholicis ad eas gentes aditum ; quin etiam, si pateat, & eò accedant, & fidem suam ipsis annuntient, nihil tamen esse, quo possint eas gentes conuincere ; fidem, quam ipsis Angli, Sueci, Belgæ, prædicauerint, falsam esse, veram autem, quam ipsi eos doceant, nisi miraculis rem agant ; sed cum iis ita esse comparatum, vt aut nulla, aut rara fiant in illis oris ; quum frequentissima fieri dicant inter medios Christianos, qui de fide Christiana nihil dubitant, præter Diuinæ Prouidentiæ ordinem.

Illa autem argumenta, quæ Catholici aliàs soleant afferre pro veritate fidei suæ, quæque hominibus prudentbus, & eorum, quæ ad religionem Christianam spectant, gnaris, eam alterâ, quæ à Protestantibus recepta est, longè reddant probabiliorem, nulla ratione ab iis percipi posse ; adeò vt illas gentes vndequaque esse innoxias, & omnino saluas fore, fatendum sit. Quòd si siue Catholici, siue Protestantes Augustanæ Confessioni addicti, ideo quod Caluini partes plerique sequuntur, qui prouincias illas armis obtinuerunt, aliter sentire ausint, eos in eadem absurda lapsuros, quibus impotentes nonnulli protestantium rabulæ sese deridendos omnibus præbeant, quum profani & absurdi homines non verentur tueri, omnes eas gentes, quæ in Occidente & Orientis arctois prouinciis, his postremis seculis, quotquot etiam in vtraque India populi,

tum auorum, tum noſtrâ etiam memoriâ, à Catholicis cum Romana Sede coniunctis perſuaſæ, fidem Chriſtianam, & Romanæ prorſus conſentaneam ſuſceperunt, ex vno errore in alium, & ex vna idololatria in alteram, haud multò moderatiorem incidiſſe; nam & idem de illis gentibus ſtatuendum eſſe, ex vno eos errore in alterum, eúmque non minùs fatalem & gehennæ obnoxium delabi, quod non tantùm non ſit veriſimile, ſed etiam omnino falſum.

Iam verò illorum populorum, qui Lappiam, Sueciam, Norwegiam, Daniam, Iſlandiam, Finlandiam, Liuoniam, aliáſque prouincias à Catholicis remotiores incolunt, eamdem pænè eſſe rationem, quæ ſit gentium, quarum antè facta fuerit mentio; quamquam illæ quidem olim Catholicam fidem fuerint amplexæ; illas autem, quæ ſunt Catholicis viciniores, aut cum eis cohabitant, & pænè quotidie cum illis agunt, vt Catholicæ fidei veritatem, ſi velint, facilè agnoſcere poſſe videantur, earum tamen mentem ita nihilominùs vitio primæ educationis eſſe corruptam, atque prauis, iíſque præconceptis opinionibus, quas veluti cum lacte materno hauſtas, in ſuccum & ſanguinem denique verterint, imbutam eſſe, vt quamquam Eccleſiæ Catholicæ fides purior multò ſit alterâ, & verior videatur, eſt tamen moralis quædam impoſſibilitas, ſiue impotentia potiùs, vt perſpecta veritate errorem agnoſcant. Illas autem opiniones, à quibus animus veluti obduruerit, ita eſſe comparatas, vt ſi vana non

ſunt,

sunt, & phantasmata, quæ mentem abripiunt transuersum, si μορμολύκεια non sunt, & terriculamenta quædam, fatendum sit, eos merito abhorrere à Catholicis.

Ne autem perspiciant, quæ in fundo latet, veritatem, id quidem fieri, tum prædicantium quorumdam culpâ, qui concitent populum, siue studio, siue quòd & ipsi sint decepti, sæpius haud multò vulgo Hominum perspicaciores; tum ipsorum Catholicorum, non omnium quidem, sed quorumdam tantùm, quorum tamen sermones & actiones primo intuitu ita præseferant, vt plurimum faciant ad Protestantes in sententia tam altè in animum demissa confirmandos. Posse quidem eos, si operam dent, neque affectibus indulgeant, ab illis inuolucris tandem animum expedire; sed quæ est summa & deploranda humani ingenij imbecillitas, tot esse, quæ obstent, vt frustra pænè sit omnis, qui suscipitur conatus; aliàs si rectè nôrint, quæ sit Catholicorum sententia, si neque diffidant iis, qui eam proponunt, omnes haud dubiè aut ei assensuros, ceu rectæ & veræ, aut saltem in medio eam relicturos esse; intereà eos abhorrere à Catholica sententia, non quà tali, sed quomodo illam falsò concipiunt; adeò vt haud absurdè dici posse videatur, eos in eadem adhuc esse communione Ecclesiæ Catholicæ, quum se separauerint olim, & hodie adhuc alieno sint animo, à communione illius Ecclesiæ, quam ipsi prauis opinionibus seducti, talem sibi falsò esse imaginantur, non verò ab illa, quæ verè est Catholica, quæque il-

illos oberrantes in tenebris præconceptarum opinionum latet, quam ſi diſcuſſa mentis caligine, agnoſcerent, eamdem eſſent amplexuri.

Videri vtique, ſi quis rem omnem rectè excutiat, non tam de eo eſſe controuerſiam, quid vel verum, vel falſum ſit, ſed quid pars vtraque ſtatuat, quidue æquum ſit, vel iniquum, & hoc tempore atque hoc rerum ſtatu vtile & noxium. Fortaſſis dici poſſe, idem euenire Catholicis & Proteſtantibus, quod interdum ſoleat contingere diuerſis viatoribus, ad locum in edito quidem colle ſitum, ſed cuius proſpectum turbidus aër, & cælum nubibus obductum viſui eripuerit, diuerſis itineribus contendentibus; quorum alij quidem rectè nôrint, quâ ſemitâ illic eundum ſit, alij verò non ſatis de ea certi, eligant aliquam, quam eôdem tendere putent; illos quidem certos eſſe, vbi, & in quo colle ſita ſit ciuitas, quam petunt; hos autem quia obductam caligine nubium cernere eam nequeunt, oberrare penè incertos, vtroſque tamen tandem ad eumdem locum peruenire; illos verò eſſe Catholicos, hos Proteſtantes.

PRÆCLVDITVR.

I. COloniæ, quas Angli & Belgæ in America Septemtrionali habent, adeò frequentes non ſunt; oras quidem illas nauibus frequentant, vt pelles inde aſportent; nullum enim aliud commercij genus cum iis barbaris intercedit. Quòd

Quòd autē gentes illas ad Christianam fidem traducant, hactenus in Europa vulgatum nō fuit: equidem Hiroquensibus (natio est præ cæteris barbara, & nomini Christiano infensa) arma subministrarunt, quibus tum præcones Euangelicos, tum Huronum gentem totam ferè Christianam penitus destruxerunt. Nihil dico de illustri religiosorum pugilum manu, qui cum Ignatio Azebedo Duce in Brasiliam irent, vt iis gentibus Christi nomen prædicarent, à Caluinistis intercepti omnes ad vnum interfecti fuêre: sed hæc mittamus; quæ vix ad rem nostram faciunt.

II. Demus autem, multos ex Barbaris ad fidem Christianam ab Anglis aut Belgis fuisse conuersos, sicuti illi eam profitentur, & sacro Baptismate tinctos; scio, sacrum hoc lauacrum sua vi atque effectu minimè caruisse, ac proinde verè fuisse regeneratos, diuinâ donatos gratiâ & amicitiâ, quâ nisi deinde, admissâ lethali noxâ, excidant, certè non salui esse non possunt. Suppono enim gentes illas, quamuis hæreticorum errore imbutas, non propterea damnandas esse; cùm hic error inculpatus censendus sit; vltro enim hoc damus; sed cùm vix fieri possit, vt citra noxas lethales viuant, cùm inordinatis corporis & animi affectibus sint assuetæ, certè vt remedio & salutari nostrorum Sacramentorum vsu penitus carent, ita non mirum, si æterna salute demum excidant.

III. Vbi verò Catholicis ad eas patet aditus, sæpe autem ac sæpius feliciter accidit, vt non ita pridem,

dem, cùm ex tota Brasilia Batavi Lusitanorum virtute expulsi sunt, nihil reuerà facilius est, quàm eas cõuincere insinuatorum errorùm; nempe ex iis ipsis principiis fidei nostræ, quæ vobis etiam cõmunia sunt, facili ratiocinio ostendi potest, quid erretis: nec exempla desunt in America Septemtrionali; positis enim ac datis iis principiis, facilè ostenditur, quid vel ipsa humana ratio postulat; nempe nisi certam illam ac viuam fidei regulam Christus Ecclesiæ suæ reliquisset, fides nostra firma esse nequiret, vt ex iis, quæ suprà dicta sunt, perspicuum est. Hinc Iapones atque Sinenses, qui ea sanè ingenij acie pollent, quam in plerisque Europæis desideramus, nostræ religionis dogmata rationi valde consona esse comperiunt.

IV. Paucitatem miraculorum exprobratis; gratulor, quòd aliqua, saltem pauca agnoscatis; cùm vel vnum sufficiat, vt secta vestra manifestæ falsitatis arguatur; si enim nostra vera est, vestra falsa est, cùm inter cætera fidei nostræ capita, illud quoque teneamus, vos scilicet errare, ac proinde hæreticos esse. Quòd autem verè sentiamus, vel inde constat, quòd aliquot saltem miraculis fidei ac religionis nostræ veritatem confirmemus. Miraculorum examen in Ecclesia Romana seuerum est; pauca enim illa sunt, quæ ab Ecclesia approbantur, reliqua pię Catholicorum fidei relinquit. Prætereà in India non adeò pauca miracula patrata sunt, vt dicitis; quid Xauerius, quid Barzeus, quid Anchieta, quid Ouiedus, quid plerique alij in hac parte gesserint,

histo-

historiarum monumentis traditum; vos fultis consulite.

V. Gratulor deinde, à vobis agnosci argumenta nostra talia esse, vt euincant, nostras partes longè potiores esse. Quòd autem additis, ab iis gentibus percipi non posse, quibus Christi fidem prędicamus, pace vestra dixerim, falsissimum est; nempe illæ optimè capiunt, ac vestram vestrorúmque cōtumaciam mirari satis non possunt. Equidem absurdi sunt illi, qui Catholicis idololatriam exprobrare non verentur; res trita est, & Tironibus nota; nec enim idola colimus, sed sacras imagines. Porro de Lapponibus, Norwegis, Danis, Islandis, Finlandis, Liuonibus, aliísque eiusdem generis idem iudicium esto; quisquis enim inculpato errore tenetur, huius causâ non plectetur, sed propter alia peccata, quæ non ita facilè expungi queunt, propter Sacramentorum penuriam, eorúmque subsidiorum, quibus in Ecclesia Romana gaudemus, licèt prædicta penuria à præfato errore quantumuis inculpato profecta sit.

VI. Quòd fidem nostram puriorem esse concedatis, accipio; quòd verò contumacia, & immoderatus erga præconceptas opiniones affectus errores vestros excusare debeant, nullatenus concedo: excutiant offusas menti tenebras, pacato animo, non perturbato, tanti rem momenti discutiant, cælestis luminis appulsum suis sceleribus non prohibeant, prædicantibus suis fidem detrectent, nisi suæ missionis literas exponant, explodant fabulas illas, quibus vt plurimùm eorum pulpita ac templa personant:

nant: si qui fortè inter Catholicos, suos mores ac vitæ modum, cum vera fide minùs componant, ad fidem, non ad mores attendant, nec enim aliorum mores, nisi recti sint, imitari debemus. Porro si vita rectè instituta iis placet, non desunt apud nos luculenta exquisitæ sanctitatis exempla: sed, vt video, si quod vlcus est, importuna musca statim aduolat; neque inter eà, quæ fieri non possunt, conuersio vestra recensenda est, cùm multi passim ex vestris ad nos transeant; quòd autem hi faciunt, cur cæteri facere nequeant, certè non video.

VII. Dedimus hactenus operam, vt probè noscceretis, quæ sit Catholicorum sententia, nec vllam vobis diffidentiæ occasionem præbuimus; non tamen proptereà assensi estis, nec dedistis manus; hinc fortè hoc nomine culpam prætexitis. Porro cum ab Ecclesia Romanà, quà Romana, Protestantes abhorreant, ab ea certè, quà Catholica est, abhorrent; quà enim Romana est, Catholica est. Et verò frustra alienum illorum animum prauis opinionibus, quibus seducti sunt, tribuitis, iisque errorum tenebris, quibus inuoluuntur; nempe illi errores voluntarij sunt, & crassi, ac proinde vitio vertuntur; & cum manifesta pertinacia coniunguntur. Quòd demum subiungitis, non tam esse controuersiam, quid verum aut falsum sit, quàm quid pars vtraque statuat, palmaris profectò hallucinatio est; quis enim est, vel in his rebus Tiro, qui nesciat, quid teneamus, quid teneatis, & quænam sint controuersiarum nostrarum summa capita. Illa, quam à diuersis viatoribus

ribus ducitis, comparatio minimè quadrat; nempe illa, quam iniuistis, via non ducit ad vitam, sed ad mortem; vbi enim error est, vera via non est.

EFFVGIVM XXV.

Ducitur ex eo, quòd Protestantes materialiter duntaxat errent, itémque ex hominum imbecillitate.

QVomodocunq; igitur tandem considerent, siue Græci, siue Protestantes, sed hi in primis, de Græcis enim plerique sentiunt multò moderatiùs, quin neque hæreticos verè, neque schismaticos esse volunt, nonnulli ægrè ferentes, paucorum culpam, qui Romanum Episcopum agnoscere nolint, omnibus imputari, etiamsi aliàs grauiter errent; fatendum tamen esse, errare eos materialiter tantùm, adeóque etiam materialiter tantùm esse hæreticos, vt vocant, non formaliter. Solam formalem autem hæresim, nisi hæresis circa ea versetur, quæ necessitate medij ad salutem necessaria sunt, ex communi Theologorum sententia, ab Ecclesiæ Catholicæ communione & vitâ æternâ excludere, quotquot eâ sint imbuti. Quum verò quis materialiter tantùm errat, hunc odisse minimè fas esse; neque enim Deum cum iis adeò rigidè, atque homines sibi vulgò persuadeant, acturum esse.

Considerandum verò esse, quantâ hominum Genus laboret imbecillitate; quàm procul sint re-

motæ à captu noſtro res diuinæ; facilem eſſe in iis lapſum. Si ſtricto iure etiam cum Catholicis Deus agere velit, vix quemquam futurum, qui non materialiter hæreticus dici poſſit; quum enim vix quiſquam ex ſanctis Eccleſiæ Doctoribus, & antiquiſſimis Patribus, quorum plures etiam ſanguine ſuo veritatem fidei Chriſtianæ aſſeruerint, ſi ſcripta eorum conſulas, quæ hodienum ſuperſunt, reperiri poſſit, qui non grauiter, ſed tamen eo, quo diximus modo, materialiter errauerit, in promptu eſſe, quid de reliquis ſtatui debeat. Euoluenda eſſe veterum ſcripta, repertum iri, quot inter eos fuerint Chiliaſtæ, quot Origeni aſſenſerint, quot animæ & angelis corpus tribuerint, de Deo etiam dubij, quot animas beatas, Deum ante finem mundi non viſuras ſenſerint: hos eſſe errores multis communes.

Iam in reliqua Scriptorum turba vix quemquam eſſe, quem materialiter non erraſſe, probari poſſit, ſi omnium ſcripta excutiantur; pleroſque è vulgo trahi tali aliqua ſuperſtitione, in quam natura ſit prona; nunquam Caluinum tam durè ſcripſiſſe, quàm vulgus vulgò ſentiat; vel ſi ſingulis etiam diebus audiant quempiam è Societate Ieſu prædicantem, nullam eſſe maiorem ſectam, quam Prædeſtinatianorum; hanc pænè omnibus è vulgo eſſe fatalem; quemque debere excutere conſcientiam, & intimos animi ſui receſſus, animaduerſurum, quantumuis Eccleſiæ iudicio ſuum paratus ſit ſubmittere, materialiter ſe tamen vnum, vel alterum grauem errorem animo habere abſconditum; eſſe quoſdam

erro-

errores, qui ita suauiter animum subeant, vt eos excutere haud minùs interdum difficile sit, atque fessο somnum: fatendum esse coram Deo imbecillitatem nostram, eámque summo Numini esse offerendam; illam confessionem Deo esse gratiorem, quàm superbam & ambitiosam aliorum sententiam, qui ex suo ingenio eam in alios ferant sententiam, quæ in illosmet ipsos statui debebat: reuocandum esse in memoriam illud Seruatoris; nolite iudicare, ne iudicemini: Ex his etenim positionibus constare, qualia sint, de quibus sit controuersia; nihil asseri à Protestantibus, quod detrahat honori diuino; ideo verò eos à Catholicis esse alieniores, quòd gloriam, quam Deus alteri nolit dare, etiam aliis communicare videantur; nullam aliàs esse controuersiam, quæ tam atrox dissidium mereatur.

PRÆCLVDITVR.

I. Omnibus Græcis hæreseos & schismatis culpam non imputamus; scimus enim, multos esse inter illos, qui Græci ritûs esse dicuntur, quatenus à Nestorianis, Iacobitis, Cophtis, & Armenis segregati sunt, quorum sincera & integra fides perspecta est, cùm scilicet Ecclesiam Romanam agnoscant, & pareant Romano Pontifici; quin etiam inter Armenos plerosque esse Catholicos, sat scio: hæc autem iis, quæ suprà exposuistis, omnino repugnare videntur; nempe hoc loco ingenuè fatemini, non multos esse inter

Græcos, qui sint Schismatici, hoc est, ab Ecclesiæ Romanæ vnitate separati, cùm tamen suprà Ecclesiæ Græcę amplitudinem plus æquo amplificaretis; quatenus scilicet à Romanâ segregata esset; quò verò hæc inter se repugnantia tendant, non video.

II. Protestantes autem materialiter tantùm errare, cui, amabò, persuadebitis; hoc iam non semel suprà obtrusum est, sed pariter refutatum; cùm errores illi humanæ duntaxat imbecillitati tribuendi non sint, sed obstinatæ malitiæ & peruicaciæ, quam profectò nihil coram Deo excuset. Inficias quoque non eo, quin multi nostrorum materialiter errent, ac nōnulli ex vulgo aliquot superstitionibus ducantur; sed pars longè maior non errat; cùm ea duntaxat credat, quæ ab Ecclesia credenda proponuntur; porrò Ecclesia errare non potest, ne quidem materialiter. Fateor etiam, nonnullos ex sanctis Patribus errasse, nunquam tamen illi errores suos propugnarunt, vbi semel ab Ecclesiâ damnati sunt. Quod autem hac in parte ab Hæreticis opponitur, à Bellarmino, aliisque abundè solutum est; vos videritis, ne crambem recoctam apponere cogar. Et verò esset, quòd maiorem modestiam in vobis desiderarem; nec enim de sanctis Patribus tam acerbè, tam acriter scribendum erat: immò si quid dubiè ab iis pronuntiatum, in bonam partem & Catholicum sensum vertendum esset; sed hoc hæreticis satis solemne est, vt sanctos illos Diuini verbi interpretes malè excipiant; abstineo ab exemplis, ne operam ludam, cùm triuiale sit.

III. Præ-

III. Præterea, esto, nostri quoque materialiter errent; eiusdem tamen cum vestris conditionis non sunt; cùm certis polleant Sacramentorum subsidiis, quorum operâ delictorum suorum veniam consequuntur, quibus tamen vestri penitus carent. Vnde licèt daremus, plerosque materialiter tantùm errare, hoc tamen non facit, quin alia peccata, eáque nonnunquam grauia admittant, quæ quomodo tandem expungere valeant, prorsus non habent. Porro licèt res diuinæ humanum superent captum, nihil sanè de iis credimus, nisi quod diuina fides nos docet, in quo lapsus omnis immunes sumus. Scripta Patrum ab omnibus inoffenso pede percurri nequeunt; immò non desunt, qui ex iis errandi occasionem acceperint; multi enim ignorant principia Theologica, quibus instructus sit oportet, quisquis ad SS. Patrum, præsertim dogmaticorum, lectionem sese accingit: hinc semidocti quidam erroribus magis obnoxij esse videntur, vt manifesta experientia testatur: eos Soli Martio haud absimiles esse dixerim, qui humores educit, sed non resoluit; sic ij difficultatum nodos inueniunt, sed cùm soluendo non sint, iis impliciti manent.

IV. Vt cætera omittam, vnum sanè mirum accidit, quòd nulli scriptori, siue sacer, siue profanus sit, stylus vester pepercerit, nempe omnes erroris, omnes ignorantiæ arguitis; hanc scribendi licentiam erit fortè qui castiget. Quid Caluinus scripserit, satis scimus; nec quisquam hactenus, mihi credite, illius errores exhausit, sentina quædam inex-

haufta eft; apud Gualterium in tabula è multis pauca leguntur, ea tamen, quamuis alia deeffent, fufficiunt, vt durè de illo loquamur; durè, inquam, id eft, candidè & ingenuè in multis illum grauiter erraffe dicamus. Prædeftinatianorum fectam vulgarem & frequentem effe, fruftra licèt Iefuitis refragantibus, & quà voce, quà ftylo reclamantibus, per iocum, vt puto, dicitis; quafi verò vulgus indoctum capiat rem prædeftinationis, aut fati; quin potiùs probè intelligit, Deum, pro fingulorum meritis, iifdem retribuere; immò fecta illa iam pridem extincta eft, fed eam Lutherus & Caluinus excitarunt, & Vfferus quidam Hibernus ex profeffo valde illuftrauit, quem deinde Ianfenius adeò fideliter fequutus eft, vt non modò in eius verba iurârit, verùm etiam totas illius libri paginas exfcripferit; quod fi quis negauerit, ad pœnam libri eum remitto.

V. Optimè monetis, vt quifpiam accuratè confcientiam excutiat; fed id vobis omnino præ cæteris confultum foret; nos fanè multa in nobis quotidie plectimus, multa deflemus, cùm tamen omnia iudicio Ecclefiæ fubiiciamus; errare non timemus, cùm nullum errorem Ecclefia fuo calculo donet. Prætereà, quæ diuina ac certa fide tenemus, multa erunt haud dubiè, in quibus opinionum libertas permittitur, quarum aliquas falfas effe, quis neget; fed huiufmodi errores circa res fidei minimè verfantur, nam quod reliquum eft, Deus noftris difputationibus permifit. Eft, quòd maximopere illam animi demiffionem laudem, quâ ducti imbecillita-

tem

tem nostram agnoscimus, & coram Deo fatemur: sed vbi mentis peruicaciâ ducti, Ecclesiæ parére recusamus, cui tamen parendum esse Christus edixit, huiusmodi confessionem fictam & inutilem esse necesse est.

VI. Constantia fidei ambitioni & superbiæ vertenda non est; nihil molliùs hac in parte agendum; sed pro vno apice, vel iota acriter pugnandum; & si opus sit, vita cum sanguine ponenda; Christi iudicio standum est, eum scilicet pro Ethnico & Publicano habendum, qui Ecclesiam non audierit: nos profectò auctoritate priuata neminem iudicamus, sed iudiciis Ecclesiæ & Concilij œcumenici adhæremus, quibus haud dubiè damnati, & diro anathemate perculsi fuistis. Qualia porrò sint ea, quæ nos inter & Protestantes controuertuntur, satis constat ex iis, quæ hucusque disserta sunt, cùm primaria sint nostræ fidei ac religionis capita. Quòd Protestantes nihil adstruant, quod honori Dei aduersetur, frustra iactatis; quis enim neget, Deum ab illo, debito priuari ac frustrari honore, qui eius verbis fidem detrectat, qui legatos & administros ab eo institutos minimè agnoscit; qui corpus Christi, Ecclesiam scilicet discerpit & fœdè lacerat. Nullam denique gloriam alteri tribuimus, quæ soli Deo competat, cultum scilicet latriæ; quidquid enim affingitis, ridiculum est; nec idola vspiam colimus, nec Sanctis supremum deferimus cultum, sed honore illos & obseruantiâ, vt Dei amicos prosequimur, cùm Deus ipse honore dignos esse nobis significârit. Quòd

tandem concluditis, nullam aliàs esse controuersiam, quæ tam atrox dissidium mereatur, dare non possum, cùm de præcipuis fidei dogmatibus, immò de ipsâ fidei regula controuersia intercedat.

EFFVGIVM XXVI.

Ducitur ex ingeniorum diuersitate, quæ variat secundùm nationes, climata, &c.

Fieri non posse, quin oriantur variæ religiones, & sectæ variæ, si vel ipsam ingeniorum diuersitatem spectes, quæ variet, secundùm nationes, prouincias & climata; concordiam igitur retineri non posse, nisi sit consensio in pauca quædam, ad quæ credenda omnes æquè afficiantur; nam si plura sint, vix fieri posse, quin vnum atque alterum occurrat, circa quæ diuersos populorum affectus cernere liceat; ex qua diuersitate deinde ad schismata & sectas facilis sit transitus. Iis, qui rerum humanarum vicissitudines, & populorum naturas cognitas habeant, id absurdum minimè videri; Gentes enim, quæ ad meridiem vergunt, pronas esse in superstitionem, non affici eas sacris, nisi in iis splendorem videant, & pompam profanæ similem; affici eas varietate rituum, etiam incognitorum, atque mysticis actionibus, Septemtrionaliores verò cum animo sint, præ reliquis, recto & simplici, simplicitatem etiam amare in sacris: iam olim, quum adhuc ignorarent fidem Christianam, obseruatam

fuisse

fuisse hanc diuersitatem apud illas gentes. Quòd si igitur, vt fieri sæpe soleat, etiam animo non malo, sed amore proprij cultûs, quo vnaquæque gens mirè afficitur, altera alteri suum magna contentione obtrudere conetur, ex illa antiperistasi, inflammatis odio animis, erumpere tandem dissidium, quod ita facilè componi nequeat.

PRÆCLVDITVR.

I. SCandala quidem esse, necesse est, nullum autem maius scandalum censetur, quàm illud, quod ab errorum & schismatum factionibus proficiscitur; at væ homini illi, per quem scandalum venit. Mira quidem est ingeniorum diuersitas, secundùm diuersas nationes, quæ fortè ab ipsa educatiône, non ab ipso cælo, vel solo deriuetur: nulla tamen natio est, ex iis scilicet, quæ Christianam fidem amplexæ sunt, cuius indoles singulari vitio ab eâ fuerit aliena, nempe ratio illa diuinæ auctoritatis communis est; & diuina mysteria æquè omnibus credenda esse videntur, immò & credibilia, si merum ingenium populorum spectes; quidquid enim discriminis intercedit, à diuersis moribus ortum ducit; nempe malè affecta & inclinata voluntas maximi ôbicis & impedimenti loco est, cùm ab eâ pia motio, quam fides desiderat, omnino procedat; hinc haud abs re peccata & vitiosæ habitudines tenebræ vocantur, quòd scilicet tenebras men-

ti offundant; hinc ergo diuersitas petenda est, non ab ingenio, aut vitio climatis.

II. Quòd in pauca res fidei contrahenda sit, vel cogitatu ridiculum est; quasi verò humana auctoritate & hominum consensione fieri queat, vt vel pauciora, vel plura à Deo reuelata sint. Quòd Deus vel multa, vel pauca reuelârit, non à nostra, sed ab eius voluntate dependet. Prætereà non video, plura esse, quàm vt ea, diuina opitulante gratia, credere valeamus; Scriptura nobis communis est, modò quædam loca à vestris deprauata restituantur, & pauci libri, quos pro canonicis non habetis, admittantur; vnum restat, meo iudicio, viuens scilicet regula fidei, & controuersiarum iudex, in hoc si nobiscum aliquando conueneritis, omnis cessabit controuersia; immò illud præsertim necessarium est; cùm enim à diuersis ingeniis diuersa sit opinionum diuersitas, vt hæ componantur, iudicem esse oportet; quod quisquis non videt, omnino cæcus est.

III. Gentes ad meridiem vergentes superstitionibus addictas esse, ac splendorem in re sacra valde probare, dicitis; quid tum? hoc nō disputo; quamquam etiam apud vestros, superstitiones non desunt: sed esto, vobis auctor non sum, vt superstitiosi, sed vt Catholici sitis. Porrò Ecclesia Catholica superstitiones damnat; quid de iis nostri Doctores sentiant, minimè ignoratis: sed periculum est, ne sacros ritus ab Ecclesia institutos, pro superstitionibus habeatis. Fortè nostra ieiunia, & abstinen-

pentiam, corporis macerationes, cœlibem vitam, pias preces, ſacram liturgiam, Eccleſiaſticas veſtes, imagines & cruces, dierum feſtorum celebrationem, ſacras ſupplicationes, ſacros pſalmos & cantus, & alia huiuſmodi ſuperſtitionum loco habetis. Sed quid veſtrâ? homines laici eſtis, vix per ſemihoram id ſacri penſi à vobis Eccleſia diebus feſtis exigit, vt rei ſacræ interſitis; pauca per annum ieiunia indicit, dies aliquot feſtos, ſynaxim annuam; verbo dicam, nulla ſecta eſt, quæ plura ſuis non imponat atque præſcribat: ſi enim Monachi in clauſtris hanc, vel illam vitam agunt, ſi canunt in choro, ieiunant in triclinio, orant in cella; ſi flagella, cilicia, aliáque id genus pia ſupplicia adhibent; ſi veſtes, coronam, barbam, tali vel tali modo componunt; quid ad vos, quos nullus ad hoc vitæ inſtitutum adſtringit?

IV. Aliquis ſacrorum ſplendor Deo ſemper placuit; quid in Veteri Lege præſcriptum ab eo fuerit, non ignoratis; tabernaculi ac templi maieſtas, ſummi Pontificis pretioſæ veſtes, ſacrorum vaſorum ac reliqui ſacri apparatus, pretioſa materia & exquiſita forma, aliáque huiuſmodi probant, pompam & ſplendorem illum ſacrorum Deo haud ingrata accidere. Sed quo animo hæc à vobis dicantur, ſatis compertum; diuinus cultus apud vos merus obtentus eſt; res ſacra parùm vobis cordi; cum proditore Iuda fortè dicetis: vt quid perditio hæc? non quòd res ſacra vobis curæ ſit, ſed quia opes ſacris vſibus & miniſteriis deſtinatas inuolare velletis, de

ho-

hominibus Ecclesiasticis crebros miscetis sermones, iisque obloqui non cessatis: sed vt verum dicam, non homines, sed bona spectatis; de altaribus parùm solliciti, modò vestris laribus consulatis.

V. Quod spectat ad varios ritus, quid quæso vestrâ? sacris administris hanc curam relinquite; quamquam Ecclesia Græca, quam paulò antè tot laudibus cumulastis, longè plures ac longiores, quàm Latina seruet. Simplicitatem Boreales vestri, saltem vt dicitis, in rebus sacris amant; rectè: quid quæso simplicius, quid expeditius, quàm sacra nostra ministeria? Missa præter breuissimas preces, pauca tantùm sacræ Scripturæ verba, aliquot Psalmorum versus, breuissimam oblationis & consecrationis formulam habet; Sacramentorum vsus, saltem eorum, quæ omnibus conferri solent, vt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, extrema Vnctio, breui & simplici praxi continetur. Nec est, quòd antiperistasim illam exaggeretis; res ista huius generis non est; nec vobis quidquam obtrudimus, licèt quærere non dubitemus, cur tandem maiorum vestrorum mores, religionem, fidem ac legem deserere veriti non sitis, vt Lutheri, Caluini, Buceri, Zwinglij, aliorúmque huiusmodi apostatarum doctrinam defenderetis. Quid porrò ad hæc natio, quid Gentis Indoles, quid ratio climatis conferat, non video.

EFFV-

EFFVGIVM XXVII.

Ducitur ex eo, quòd restringenda sint ea, quæ ad salutem sunt necessaria, & maior libertas concedenda.

VT igitur dissidia, quantum fieri potest, euitentur, restringenda esse, quæ necessaria dici possunt ad salutem, & concedendam maiorem libertatem, quàm hactenus Ecclesia Romana permittere voluerit. Circa ritus in primis & agenda, necessariò permittendam esse liberam cuique Ecclesiæ dispositionem; considerandа esse, quanta ex Tertulliano, Epiphanio, Augustino, Socrate, Sozomeno, aliisque scriptoribus Ecclesiasticis colligi possit rituum fuisse diuersitas, quam si hodie etiam sequi libeat, facilè componi posse haud paucas controuersias superiore sæculo exortas. In vetere Ecclesia maiorem fuisse pacem, quòd maior tum esset libertas; non tum integras prorsus prouincias in schisma fuisse prolapsas; plerasque sectas fuisse erraticas, atque Swenckfeldianorum & Weigelianorum nostro tempore esse videamus, præcipua nostræ fidei mysteria oppugnantes.

De iis verò non disceptari nunc inter partes; si qui sunt, qui de iis etiam dubitare ausint, dubium non esse, quin explodi debeant: ea autem, de quibus nunc partes contendant, primis quidem sæculis nunquam fuisse à quoquam adducta in controuersiam, siue quòd ea ignorarent, aut non ita crederent,

rent, & existimarent liberum esse & indifferens, quid quæque Ecclesia sentiat. Ecclesiam hodie Christianam vel ideo multò esse feliciorem, quòd hodie atrociùs dissideat de rebus non magni momenti, quàm olim, quum quæstio esset de iis, in quibus cardo rei totius versatus fuerit. Si maior concedatur libertas, fortassis sponte sua populum eò rediturum, quò maiorem partem inclinare videat; nunc verò videri persistere in sententia, non tam odio aduersæ partis, quàm quòd cogi nolit, compulsúsque resiliat, & communi hominum vitio in contrarium nitatur.

PRÆCLVDITVR.

I. Maior aut minor, quàm sit, credendi libertas esse non potest; vt enim nec plus, quàm par sit, credere, ita nec minus æquo diuina fide tenere possumus; nempe vt Deo aliquid adstruenti fidem detrectare non debemus, ita nec ei quidquam affingi debet. Maior igitur, aut minor credendi libertas esse non potest; cùm id omne credere debeamus, quod Deus reuelauit, & nobis Ecclesia credendum proposuit, & nihil amplius; ab humana igitur institutione non pendet, sed à libera Dei voluntate, qui ad libitum plura, vel pauciora mortalibus significat. Quod spectat ad ritus, pauciores reuerà, aut simpliciores esse non possunt; de iis enim loquor, qui laicis competunt. Si quid enim Ecclesiastici aut Monachi singularis ritûs adhibeant,

hibeant, in victu, vestitu, cantu, ac totius vitæ instituto; quid ad vos, homines laici? an oculus vester nequam est, quia illi boni sunt? si saccum, cilicium, flagella, ieiunia, aliáque id genus horretis, bene est; sed quid ad vos, si hæc alij sanctè adhibeant? hîc popularis parœmia locum haberet, canem scilicet olitoris nec edere caules, nec pati, vt alij edant.

II. Sacramentorum vsus, Pœnitentiæ præsertim & Eucharistiæ, facilior esse nequit; flagellationes ac pœnitentiæ publicæ, vt vocant, aliàs in quibusdam Ecclesiis præscriptæ, in vsu ampliùs non sunt, quamquam eas nonnulli recentiores per fas & nefas restituere conantur. Præcepta verò Ecclesiastica pauca sunt & facilia; annua synaxis laxior nonnullis visa est; festorum indictio quædam tertij præcepti declaratio vel explicatio est: accedit, quòd festorum celebratio remittendo animo vt plurimùm, potiùs quàm diuino cultui, maiori saltem ex parte inseruit. Pauca illa ieiunia per annum præscripta adeò facilia sunt, vt vix ieiunij nomen mereantur: accedit, quòd tantula causa ab iis fideles eximit. Miror, homines, quibus propria salus cordi sit, de his minutiis conqueri, præsertim cùm nulla secta sit, quæ suis longè grauius iugum non imponat. Naamani exemplũ in hanc rem optimè quadrat; si alia maximè difficilia Ecclesia præscriberet, haud dubiè parendum adhuc esset; quid enim pro æterna salute fieri non debet? cùm autem adeò facilia & pauca, scilicet laicis imperet, cur, amabò, parére recusatis?

III. Præ-

III. Præterea maxima nostrarum controuersiarum pars ad ritus non pertinet, sed ad fidei dogmata, vt patet ex dictis, in quibus Ecclesia nihil mutare potest: itaque fides priùs vobis mutanda est, ac deinde, si ratio postulet, de ritibus facilè conueniemus. Agnoscite supremum controuersiarum iudicem, Christi Vicarium, Ecclesiæ Caput, auctoritatem fallere nesciam in materia fidei & morum; admittite nostra Sacramenta, liberum hominis arbitrium, purgatorium, indulgentias, Sanctorum cultum, sacras imagines & reliquias, ea quæ sacramentalia vulgò vocantur; nolite facere Deum peccati auctorem; eiurate priùs huiusmodi errores, antequam de ritibus ac cæremoniis agamus. In vetere Ecclesia, quæ maior pax extiterit, reuerà non video; semper enim fuerunt hæreses & hæretici. Quòd dicitis, integras Prouincias in schisma non fuisse prolapsas, cum veritate minimè consentit, quis enim nescit, integram Gothorum gentem diu Arianam fuisse, immò, vt ait Hieronymus, totus ferè orbis terrarum se Arianum esse miratus est. Iam dudum etiam Græci, Armeni, Cophti, Abassyni ab Ecclesia Romana defecerunt. Porrò nec ipsa integra Germania ab eadem desciuit; Anglia quidem tota defecit, sed quid causæ fuerit, non ignoratis; turpis causa turpiorem effectum post se reliquit.

IV. Quòd verò indicatis, de fidei mysteriis controuersiam modò inter nos non esse, à veritate alienum est: de iis, quæ suprà attigi, disceptamus, quæ ad fidei mysteria omnino pertinent; & si illos

omnes

omnes explodatis, qui de iis dubitent, acta res est, conuenimus : sed verbis non stamus, expectamus facta. Quòd nostrarum controuersiarum capita primis sæculis in dubium reuocata non fuerint, vt liberè dicitis, ita vix probare poteritis : legite, amabò, vestrorum errorum & antiquorum parallela apud Gualterium in tabula. Sed esto, rectè in iis fideles tum sentiebant, neque hoc maiori credendi libertati tribuendum; nunquam enim cuique concessum, ea, quæ vellet, credere : equidem non diffiteor, multa deinde à Conciliis & Ecclesiâ declarata & definita fuisse, quæ antè minimè obligabant.

V. Res illas, de quibus disceptamus, non magni momenti esse dicitis; sed vbi de æterna salute agitur, magnum reuerà momentum est. Subtiliores quidem antiquorum hæreses extiterunt; vt Arij, Macedonij, Nestorij, Eutychetis, Pelagij: at vestri errores, vt longè plures, ita non minores esse videntur. Quidquid enim sanctum est in Catholicorum lege, fœdissimè violastis ; Deum, quem auctorem peccati facitis, & sacrificio priuatis ; Christum, quē in Eucharistia deridetis, & pedibus calcatis ; Angelos, quorum pia ministeria negligitis ; Sanctos, quorum cultum & memoriam penitus abolere voluistis; pias animas in purgatorio detentas, quas solitis suffragiis recreandas esse negatis; Ecclesiam, quam miserè discerpere non cessatis; Christi Vicarium, cui parére non vultis, cuius auctoritatem pessumdatis, addictos diuino cultui homines, quos acerrimè persecuti estis; Sacramenta & sacramentalia, quæ reiicitis;

citis; diuinam gratiam, cui necessitatis legem imponitis; libertatem hominis, quam è medio tollitis; vno verbo, quidquid sanctum & sacrum est in Ecclesia, turpissimè fœdare tentastis; & hæc parui momenti esse iudicatis? Quis demum vos cogit? hortamur quidem, monemus, inuitamus, nullius sanè commodi nostri, sed vestræ salutis studio ducti; vbi, quæso, vis, vbi violentia? Equidem nonnulli Principes Catholici hæreticos in suis Prouinciis esse non patiuntur; sic vestri erga nostros Catholicos eodem modo se gerunt; iure quidem illi, hi verò iniuriâ; nempe æquum est, & è rep. vt Princeps noua dogmata in vulgus spargi non sinat, cùm religionis mutatio aliquam vt plurimùm reip. mutationem conciliet; iniquum tamen est, subditos populos ad nouam religionis formam à Principe adigi, nec antiquam maiorum fidem permitti.

EFFVGIVM XXVIII.

Ducitur ex eo, quòd à primariis Ecclesiis, quasi à Matrice, subortæ contentiones propagatæ sint.

Ecclesiam omnem fuisse propagatam veluti per colonias ex vrbe primaria emissas; qua ratione factum fuerit, vt omnes illæ eam vrbem, à qua primùm fidem acceperant, magno honore & affectu prosequerentur, eiúsque ritus & constitutiones interdum non admodùm inuiti susciperent.

petent. Romanam in primis Ecclesiam, perinde atque olim Remp. Romanam, plurimùm creuisse, emissis veluti in omnes Occidentis Prouincias coloniis, quibus sibi auctoritatem in eas asseruerit, & in officio haud difficulter potuerit continere. Idem factum à Græca, Syriaca, Ægyptiaca; inde haud aliter atque inter vicinas vrbes aut respub. fieri solet, sic inter æmulas Ecclesias, natas esse contentiones, iis alendis, quæsitas ab hominibus concitatioris ingenij varias causas & occasiones, atque ea, ad dissidia fouenda, in medium allata, quæ aliàs haud magni essent momenti.

Cùm autem quæque Ecclesia matrici suæ adhærere consueuerit, si matricem quædam inuadat contentio, eam protinus propagari in subiectas Prouincias, quæ temporis diuturnitate ita demum inualescat, vt transeat tandem in odium, quale quondam fuit Romanos inter & Carthaginenses, & hodie Hispanos inter & Gallos; certè non aliam esse rationem dissidij, quod à tot sæculis, Græcos inter & Latinos viguit. Quemadmodum autem dubitandum non sit, quin Deus facilè ignoscat Gallis & Hispanis, insito quodam odio inter se dissidentibus, ita etiam existimandum esse, Deum Opt. Max. non tractaturum duriùs Græcos & Latinos, quoniam par sit ratio.

PRÆCLVDITVR.

I. Fateor ab Ecclesia Romana totum Occidentem fidem accepisse; sed nego, hanc fuisse

causam dissensionum, quæ deinde Romanos inter & Græcos extiterunt; immò manifestæ veritati repugnare videtur; quis enim nescit ambitionem Patriarchæ Constantinopolitani schismati ortum dedisse, à cuius tamen Ecclesia nulla colonia emissa fuerat; sed cùm in ea ciuitate Imperatores manerent, inde auctoritatem spiritualem, vt vocant, Patriarcha sibi arrogare voluit, vnde Princeps ipse temporalem ducebat. Hic fons & origo mali; si enim sedes Imperij Romæ fuisset, Patriarcha Constantinopolitanus primatum illum Ecclesiæ nunquam ambiisset: sed cùm Imperatoris Episcopus esset, Romano Episcopo subiici indignum ratus, altare contra altare erexit, & schismati causam dedit; rediêre idemtidem Græci ab eo tempore, vt iam obiter indicaui, sed aut gentis indoles, aut mala corruptorum hominum fides fecit, vt rursus ad vomitum redirent.

II. Quo verò fructu ac euentu, miserabilis illius Ecclesiæ status & forma testatur, nempe cùm aliàs Græcia mirabiliter floreret, tum literis, tum sanctimoniâ, tum etiam armis, ac rerum gestarum gloriâ; nunc obscura iacet, ignorantiæ errorúmque tenebris inuoluta, sine literis, sine virtute, sine vlla nominis famâ: ingeniosos homines nobile illud solum non alit amplius, nec strenuos, nec sapientes; obmutuit illa eloquentia; amplissimæ ciuitates dirutæ ac desertæ, & frequentissimæ olim regiones nunc maximâ incolarum penuriâ laborant. Itaq; Ecclesia Constantinopolitana aliarum matrix non fuit, licèt

aliæ

aliæ Orientis Ecclesiæ ipsi deinde adhæserint, ob rationem suprà expositam, quòd scilicet in ea ciuitate caput imperij esset. Facilè autem concesserim, homines concitatioris ingenij schismati occasionem præbuisse, ambitionis studio ductos, quales haud dubiè fuerunt Photius, Sergius, Michaël Cerularius, aliíque deinceps qui successerunt.

III. Porro cùm de primatu ageretur, ac certo & indubitato controuersiarum iudice, nec non plerisque diuinæ fidei dogmatis, res satis magni momenti fuisse videtur. Comparatio illa ducta à Romanis & Carthaginensibus, itémque à Gallis & Hispanis, futilis est; & nisi me mea opinio fallit, vnicus ac singularis huiusmodi effugiorum scopus est, vt euincatis, iurisdictionem Ecclesiasticam humanæ, non diuinæ institutionis esse; ac proinde Ecclesiam à Spiritu sancto non regi, ac dirigi, sed politicæ prudentiæ rem esse; à Romano Pontifice supremam illam auctoritatem vsurpatam, quam à Christo nullatenus acceperit. Sed res profectò secus se habet; digitus Dei est hîc, nec caro & sanguis hoc reuelârunt, vt patet ex dictis. Vno verbo, satagite, quæso, rerum vestrarũ, & Græcos finite, ac existimate, horrendum esse incidere in manus Dei viuentis; extra Ecclesiam salutis viam non esse; Petro eiúsque successoribus Regni cælorum claues creditas; sine fide Deo neminem posse placere. Frustra causari vos inculpatam ignorantiam, quis hoc credat de vobis perspicacissimis hominibus; frustra etiam Ecclesiasticorum mores, quos certè imitari non debetis, si

corrupti sunt, sed fidẽ, quæ sana est, amplecti; Gallos inter & Hispanos de fide non controuerti, secus verò inter Latinos & Græcos, Romanos inter & Protestantes; hinc comparatio manifestè claudicat.

EFFVGIVM XXIX.

Ducitur ex ea libertate, quæ fuit in lege naturæ.

INsignem illam, inquiunt, hominum duritiem alienam maximè esse ab eo tempore, quo nondum lex aliqua scripta & lata erat, sed quo solà lege naturali gentes omnes tenebantur, atq; Deum venerabantur, quemadmodum eius potentiam ex visibilibus operibus poterant colligere. Hoc temporis spatium bis mille annos excedere, quo scripta, aut tradita diuinitùs lege quadam genus humanum fuisse adstrictum non constet: habuisse fortè aliqua tradita à maioribus, quæ obseruarent, quorum tamen obseruationem necessariam fuisse, seu à Deo ipsis impositam, dici non possit; occurrere eiusmodi in veterum Rabbinorum scriptis, quæ ante Legem à Moyse latam, quin etiam ante sancitum cum Abrahamo pactum, obseruata fuisse tradant. Qui igitur Deum coluerint, vti ex lumine naturali cognosci potest, & abstinuerint à grauioribus peccatis, quę ipsa recta ratio vnumquemque docet, ei aduersa esse, eos haud dubiè potuisse æternam salutem adipisci.

Illam autem naturalem de Deo cognitionem

non

non esse ita accuratè accipiendam, atque ea humano ingenio, cùm vires omnes intendit, excoli potest, & quemadmodum fortè Suarezius eam in Metaphysicis exposuerit, sed quomodo capi potest à recta ratione, vti ea non in hoc, vel illo homine præstans & excitata, sed vti in omnibus communiter reperitur. Cùm enim Deus clementissimus omnes homines velit saluos fieri, medium etiam, quo æternam salutem assequi debeant, ita oportere esse comparatum, vt obtineri ab omnibus possit: hanc igitur notitiam fuisse diffusam per omnes gentes, neque tunc aliud quidquam ab iis fuisse requisitum. Viam, qua ad æternam salutem perueniretur, tum non vni alicui genti, ad quam cæteræ se aggregarent, fuisse alligatam, sed vti lex illa naturalis omnibus sit communis, ita etiam viam illam omnibus gentibus fuisse communem. Neque tamen statuendum esse, Deum tum adeò fuisse rigidum, quin multa humanæ imbecillitati indulserit, quæ cùm Deum, vt est, concipere non possit, sub diuersa aliqua & sensibili ratione, diuinam maiestatem colere cœperit. Excogitata tum fuisse à prudentibus symbola quædam, ex quibus homines rudiores, cùm sibi conceptum aliquem de Deo formare nō possent, diuinam maiestatem, eiúsque operationem colligerent, eáque signa passim fuisse proposita, & verum Deum per ea adoratum fuisse.

Id nisi asseratur, in periculo fore, ipsorum Patriarcharum, Tharæ inprimis, & initio quoque Abrahami salutem: Iacobum diu cum Labano fuis-

se versatum, & ipsius filias duxisse vxores, quamquam suetas eadem ratione Deum colere. Credendum tamen, hanc labem infirmitati humanæ condonasse, præsertim cùm apud multos, quid illa symbola significarent, oblitteraretur, aut illis non satis esset notum, & cultum aliquem ipsis signis inciperent deferre, vti apud rudiores inter Christianos videamus, cultu aliquo ab iis affici imagines, sine relatione ad prototypum, aut alios ab iis committi errores, in symbolicis Dei, & SS. Trinitatis picturis. Cùm autem hæc naturalis Dei notitia & cognitio fugiendorum, quæ rectæ rationi sunt contraria, paulatim densis tenebris in animis hominum, per totum terrarum orbem obducerentur, & iam vel ipsa signa symbolica, sine relatione ad id, quod denotarent, diuino cultu afficerentur, astra etiam & signa cælestia, tum homines ipsi ceu Dij colerentur, multa etiam existimarentur esse licita, quæ à recta ratione manifestè sunt aliena, tum cœpisse paulatim viam sterni ad gentem aliquam peculiarem ex omnibus secernendam, quæ certis diuinitùs instructa legibus, reliquis exemplo esset.

Igitur Abrahamo accessisse primùm peculiares traditiones à Deo ipsi commendatas, quibus tum fuerit via parata ad legem, quam Deus per Moysem posteris eius, populo suo electo, tradere constituerat: Moysis autem tempore, cùm totus orbis densis idololatriæ tenebris esset immersus, placuisse Deo, ad immunem populum suum à contagio vicinarum gentium præstandum, peculiaribus eum adstringere le-

ræ legibus, quibus ei non tantùm via ad salutem æternam commonstraretur, sed etiam tota resp. per omnes partes, & membra ordinaretur. Hunc igitur statum sub lege, ab eo, qui erat ante legem, fuisse diuersissimum; in priori, ingentem fuisse libertatem; hîc omnia adstricta etiam ad certas politicas & forenses leges; quotquot igitur se aggregassent illi cœtui, eis fuisse necessitatem impositam, se illis legibus subiiciendi, eásque seruandi, atque obediendi iis, quos Deus custodes illarum instituerat; & potuisse hoc haud difficulter fieri, quòd gens esset vna, neque multarum Prouinciarum Domina.

Eam seruitutem durâsse per multa sæcula, donec constituto tempore, venerit à Deo promissus Seruator, qui sublatis legibus omnibus iudiciariis & cæremonialibus, vni illi genti propriis, restituerit primam illam libertatem, reuocatâ solâ lege morali, atque naturali de Deo notitiâ, additâ tantùm fide in Christum, pro nobis incarnatum, passum & mortuum, & in distinctas in diuina essentia personas; rediisse tum propemodùm eum statum, qui fuerat ante legem, & fidem illam à Christo annuntiatam, factam esse omnibus populis communem; tum etiam vti Seruator Iudaicas illas forenses & cæremoniales abrogauerit, ita etiam alias eiusmodi leges singulares nullas condidisse nouas; sed quidquid ad constitutionem alicuius cœtus pertinet, & ad formam aliquam cœtus illi dandam, quidquid etiam ad reliquas omnes externas leges;

id fuisse relictum libertati hominum, eámque fuisse necessariam, quòd propaganda esset religio Christiana per totum orbem, in tot diuersissimorum ingeniorum populos, & nationes, in tot regna, principatus, & resp. diuisum.

Vbi igitur leges principales ad salutem ducentes, vbi morales saluæ maneant, quamquam aliàs adsint næui aliqui, quamquam sint ingentia dissidia circa constitutionem Ecclesiarum, vti ea non obsint saluti, ita neque vnitati & paci inter se retinendæ debere obesse. Sed cogitandum potiùs, qua æquitate homines pios & prudentes vti necesse sit, ne tot hominum myriades, quæ ante latam à Deo legem, in sola naturali notitia Dei, & fortè obscura quadam & confusa de futuro aliquando Seruatore cognitione vixerunt, ad tartara detrudant; eâdem nunc quoque vtendum esse, ne omnes pænè Christiani, non tam propter vitam malè actam, quàm propter fidem non rectam, æterna salute, per Christum parta, mutuis suis contentionibus excidant.

PRÆCLVDITVR.

I. HÆc, quæso, quid ad rem? parùm sanè abfuit, quin omnino reticerem; sed ne quid per fraudem à me omissum esse dicatis, vel hoc nomine, inuitus licèt, adduxi. Multa autem ex iis, quæ assumitis, falsa sunt; nonnulla dubia; aliqua probabilia. Quid in lege illa naturali actum sit, præter ea pauca, quæ in Genesi legimus, non con-

constat; quæ religionis forma fuerit, qui ritus, quæ maiorum traditiones, qui libri, quod remedium infantibus aduersùs maculam originis adhiberi solitum, de iis omnibus, vt ea fuisse certissimum est, ita qualia fuerint, omnino incertum, ac proinde ea discutere prorsus inutile; quod enim apud veteres Rabbinos legitur, anilis fabula est. Fuisse autem aliqua à maioribus tradita, quæ isti à Deo acceperant, necesse est; alioquin Deus eorum saluti non satis prudenter consultum esse voluisset; ac proinde iis fuisse adstricta; huiusmodi autem sunt recta fides in Deum, latriæ cultus, aliquod sacrificij genus; in Melchisedech & Iobo luculenta rectæ fidei ac diuini cultûs suppetunt exempla.

II. Quòd verò dicitis, notitiam Dei naturalem ad salutem sufficere, nemo reuerà Theologus admittet; ex hac enim operationes supernaturales, vt vocant, sequi non possunt; immò sine diuina gratia à peccatis lethalibus abstinere non poterant; hæc autem vt plurimùm aliquam cognitionem, seu cogitationem supernaturalem, saltem quoad modum, vt vocant, supponit. Cùm autem illi peccassent, nullum ad expungendum peccatum, ac veniam obtinendam, suppetebat remedium, præter perfectam contritionem, ac dilectionem Dei supernaturalem; quod reuerà qui neget, nemo est, modò saltem rem hanc intelligat. Si enim cognitio Dei naturalis sufficeret, cur fides adeò necessaria esset? cur sine illa homo Deo placere non posset? cur ad Deum accedens.

dens necessariò credere deberet ? cur fides totius meriti principium esset ?

III. Porro licèt Dei cognitio, ad salutem necessaria, supernaturalis esse debeat, adeò tamen distincta & clara necessariò non requiritur; crassa est & valdè confusa in nonnullis, sat scio; Deus enim suam gratiam diuersis hominum ingeniis facilè accommodat, vel attemperat; his maiora, minora illis infundit lumina. Quòd omnes homines saluos esse velit, voluntate scilicet antecedente, vt vocant, & quodammodò conditionata, id est, modò ipsi velint, rectè dicitis, & in hoc gratulor, quòd à Luthero, & Caluino discedatis; ac proinde singulis ea media præparet, quorum scilicet capaces & patientes sint, quæ reuerà, si adhibeantur, æterna salus obtineri queat; multi autem ea media non adhibent, ac proinde non saluantur; licèt ea adhibere, in eorum potestate positum sit: illa tamen notitia naturalis, vt subnectitis, sufficiens medium non erat, vt patet ex dictis; & multa alia ab iis hominibus Deus exigebat, rectam scilicet fidem, amorem, cultum, &c.

IV. Nulli autem genti æternæ salutis via ita vnquam patuit, quin aliis etiam pateret; & lex illa diuini cultus, quæ fidem & charitatem supponit, semper ad salutem omnibus gentibus (de adultis loquor) necessaria fuit; nec quidquam, quod per se malum esset, Deus hominum imbecillitati indulgere potuit; nec enim Deus volens iniquitatem est. Illa sensibilis ratio, sub qua Deus coli potuit, modò symbo-

la,

la illa ad Deum, vt prototypum, referantur, per se mala non est; quamquam symbola illa adhibita fuisse, non constet; & eâdem facilitate negetur, quâ asseritur. Quòd aliqui Patriarchæ ante Abrahamum à recta fide deflexerint, verisimile est, & fortè ipse Abrahamus initio; sed quid inde? quasi verò ex prauis parentibus, sancta soboles oriri non possit; cuius sanè rei innumera in sacris paginis habemus exempla.

V. Labanum excusare, quid iuuat; quasi verò Iacob inter infideles integram fidem seruare non potuerit, & ad eam vxores suas conuertere. Quis autem dicat, impiam illam idololatriæ labem à Deo infirmitati humanæ condonatam fuisse, atque permissam; ab his profectò Christianus abhorret animus. Diuinatis autem, ne quid acriùs dicam, vbi dicitis, à Deo Moysi legem ideo traditam fuisse, quòd illa naturalis Dei notitia tenebris obducta esset, & obliteratum, quid illa symbola significarent; hæc, inquam, sunt mera somnia; Deus enim temporum momenta ponderat, ac destinatis ab æterno temporibus se & sua mortalibus aperit. Cum Adamo, Enocho, Noëmo, Abrahamo, Iobo satis familiariter egerat; præter alios, quorum sacræ paginæ non meminerunt; Moysi deinde peculiares leges tradidit, præter diuinam, iam quidem antè latam, non tamen adeò distinctè expressam; ad hanc omnes omnino tenebantur, licèt Moysaica omnes non adstringeret; nec Synagoga Iudaica totam Ecclesiam complectebatur, quod vltrò fateor.

V. Vbi

V. Vbi autem Seruator venit, primam illam naturæ legem minimè restituit, vt perperàm dicitis; sed longè nobiliorem instituit, Christianam scilicet & Euangelicam, quam gratiæ vocant, propter vberiorem affusæ gratiæ appulsum. Ecclesiam suam ædificauit, & eam nouis Sacramentis, nouo sacrificio, nouo ministrorum genere, sub Petro supremo Vicario, nouis præceptis Euangelicis, nouis consiliis, nouo testamento instructam esse voluit; eámque vniuersalem & Catholicam, quæ non Iudæos modò caperet, sed omnes omnino populos complecteretur. Equidem Iudæos ab antiqua Lege liberauit, exceptis tamen diuinis præceptis, vulgari Decalogo, vt vocant, contentis; cùm enim Iudaica illa sacra figuræ essent, & vmbræ Legis Euangelicæ, certè vbi lux affulget, expungitur vmbra; vbi veritas apparet, figura inutilis censetur; vbi, quod promissum erat, exequutioni mandatur, pacti chirographum rescindendum. Libertatem quidem Christus attulit, non quòd nos à seruitute Iudaica liberârit, à qua Iudæos duntaxat exemit, sed à peccati & diaboli iugo; hac enim nos Christus libertate donauit, cùm Dei filios esse voluit, quotquot eum receperunt; & Principem mundi eiecit foras, qui fœdissimam tyrannidem in toto orbe terrarum exercebat.

VI. Falsò verò subnectitis, à Christo reuocatam fuisse notitiam illam Dei naturalem, cùm diuinam fidem nobis reliquerit, iis scilicet diuinis arcanis reseratis, quæ antiquis reuelata non fuerant. Quis autem felicem hunc legis Euangelicæ statum, eum-

dem

dem cum illo, qui ante legem fuit, esse dicat? Quis enim illas tenebras cum multiplici diuinæ fidei lumine, quo Christus suam Ecclesiam perfudit (est enim lux mundi, quæ omnem hominem illuminat) quis, inquam, tenebras illas, cum tanta luminum vi comparet? quis obscuram noctem, cum serena die, quis inania quædam & rudia sacra, cum nostris Sacramentis, ac totius rei sacræ mysteriis, quibus in Ecclesia gaudemus? Quòd autem dicitis, nullam à Christo conditam legem, adeò falsum est, vt refellere pudeat; considerate, amabò, quò vos errores vestri abduxerint; nulla per vos lex Euangelica, nullus Christianorum cœtus, nulla Ecclesia, ac proinde nulla religio; nemo hactenus hæreticus eò venit audaciæ, vt tam horrenda, tam impia, tam blasphema effutire ausus fuerit.

VII. Quoties, amabò, Christus Ecclesiæ meminit, ouilis & gregis, agnorum & ouium? cui, amabò, gregem suum credidit, claues regni cælorum tradidit, facultatem soluendi atque ligandi commisit? quid Apostolos facere iussit, quid prædicare, vbi præcepta, vbi consilia, vbi responsa? Omnia igitur libertati hominum minimè reliquit; legem suam tulit; iugum & onus suis subditis imposuit, illud quidem suaue, & hoc leue; computruit enim à facie olei, hoc est, multiplicis gratiæ accessione longè facilius redditum est. Porro leges principales ad salutem necessarias à Christo accepimus, nec vllum næuum, qui sit contra fidem, aut mores, tolerat Christus; nulla vnitas, nulla pax, sine fidei,

legis,

legis, & Ecclesiæ vnitate. Nec quisquam est, qui di-cat, omnes illos, qui ante legem vixerunt, æternis cruciatibus addictos esse, quorum multi haud dubiè salui fuerunt, propter rectam fidem in Deum, ac vitam rectè compositam. Christiani similiter tum propter sinistram fidem, nisi errore inculpato ducantur, tum propter vitam malè actam æterna salute excidunt; si vel alterum deest, salui esse nequeunt, sæpe autem recta fides cum mala vita coniuncta est, rarò tamen bona vita, cum sinistra fide.

EFFVGIVM XXX.

Ducitur ex eo, quòd omnia ita sint comparata, vt abstinendum sit à rigidis censuris.

QVum igitur omnia ita sint comparata, abstinendum esse à rigidis censuris, quibus fecundis hactenus partes assueuerint, quieti verò & tranquillitati ab omnibus studendum, atque decretoriam sententiam aliquando in diuino iudicio, à summo & clementissimo Deo esse expectandam, in cuius iudicio, vti nemo iustificari possit, quocum Deus iure agere, & delicta omnia voluntatis ad rigidũ examen vocare velit: ita etiam omnino credendum esse, pari æquitate, & haud dubiè maiore, Deum etiam errores intellectûs reuocaturum esse in examen, quò faciliùs homini est, illa vitare, & magis arduum animum penitus expedire. In illa igitur Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi

φιλανθρωπία esse acquiescendum, & intereà in hoc mundo, quantum fieri possit, pacem cum omnibus esse colendam.

PRÆCLVDITVR.

I. AB iniustis censuris abstinendum esse, vltrò fateor; à iustis tamen, post Ecclesiæ & legitimi iudicis sententiam, abstinere non possumus, nec debemus. Ecclesiæ iudicio standum est, quod cùm diuino semper consentit, nec anxij expectare debemus, quod iam tenemus; vox Petri, vox Christi; vox Ecclesiæ, vox Dei est. Iis porro consentire non valemus, qui Deo non consentiunt, qui Ecclesiam non audiunt, ac proinde Ethnicorum & Publicanorum loco habendi. Pacem & tranquillitatem Ecclesiæ non ipsi perturbauimus, sed vos vltrò ab Ecclesia desciuistis, & sacram illam vnitatis fibulam rupistis, quâ corporis Christi membra copulantur: quid ergo nos quieti & tranquillitati studere iubetis; nisi adsit fidei vnitas, nulla pacis vnio intercedere potest.

II. Errores intellectûs si crassi & voluntarij sint, perinde atque alia delicta, Deus ad rigidum examen vocat; præsertim si cum obstinatâ pertinaciâ errores illi coniuncti sint. Decumana præsumptio est, errores vestros diuinæ bonitatis ac φιλανθρωπίας obtentu, eleuare ac minuere: Deus, mihi credite, non irridetur. Nec est, quòd infirmitatem humanam prætexatis, quæ in alio potiùs delictorum genere timenda est, quàm in hæresi & infidelitate; nempe pro hac magnis animi perturbationibus aut motibus non agita-

gitamur. Hinc contrarium penitùs sentio, scilicet fore, vt Deus peccata infidelitatis longè grauiùs ac seueriùs puniat, quàm simplices carnis lapsus, v. g. quod certè inter morales Theologos nemo erit, qui neget; hinc ab Ecclesia seueriùs huiusmodi peccata castigantur.

CONCLVSIO PARÆNETICA.

I. Quid igitur restat, præclusis omnibus Effugiis, nisi vt tandem ad Ecclesiam redeatis, Viri Clarissimi; disputatum satis: altercationes odia potiùs nutriunt, quàm mentes illustrent; illâ vanæ gloriæ aurâ omnes, saltem vt plurimùm ducuntur, vt vinci pudeat. Itaque, quod hactenus tot scriptorum ac librorum volumina in lucem edita, tot concertationes, tot congressus obtinere non potuerunt, id ferè diuinæ gratiæ beneficio ac Spiritûs sancti impulsu consequuti sumus; nondum sanè rediistis, nec deditionem fecistis; nutare tamen, & quasi de deditione agere cœpistis; macti animo, vocantem Deum auscultate, diuinis gratiæ motionibus obsecundate: quid vos moratur? Vestra fides vobis suspecta est, nostræ firmitas ac veritas vobis perspectæ; pauca sunt, quæ displiceant, eáque nullius momenti, & mera adiuncta, quæ ad rei substantiam non pertinent; esset, quòd viri prudentes aliquid in vobis desiderarent, si propter accidentia, vt vocant, substantiæ ac totius rei iacturam faceretis.

II. Iam conscientiæ stimulis acti estis, salutem

vestram

vestram in tuto collocate; vox illa cordis interior, quæ vos compellat, ad reditum & resipiscentiam vos hortatur; pulsat & vellicat Deus cordis vestri fibras; vt vos tandem excitet. Durum est vobis contra stimulum calcitrare; de imminente periculo Deus intrinsecus vos monet: quid, amabò, obsurdescitis? Nihil ampliùs excusationis prætexere poteritis, nec bonam fidem aut inculpatam ignorantiam causari; cùm iam vobis religio incussa sit, & vestræ causæ magnopere diffidatis.

III. Quidni maiorum vestrorum exempla vos moueant, quorum integram fidem antiquis historiarum monumentis consignatam habetis? Quantâ ipsi pietate, quo affectu & animo erga Ecclesiam Romanam fuerint, tot ab iis relicta monumenta testantur, tot sacræ ædes conditæ, tot Monasteria instituta, tot Nosocomia constructa, & annuo censu instructa, tot viri sanctimoniâ illustres, doctrinâ eximij, tot Imperatores de Ecclesia bene meriti: nullus sanè est Germaniæ, Belgij, Angliæ tractus, in quo huiusmodi antiquitatis vestigia non extent.

IV. Quid porro vos tenet? an fortè pastorum vestrorum cura? sed lupi sunt rapaces, suis commodis intenti, sibi consulentes, non gregi; præterquàm quòd iis sunt moribus, saltem vt plurimùm, qui vobis exemplo esse nõ possunt. Deinde quis nescit, maiori saltem ex parte, transfugas esse ac Monachos apostatas, qui eiurata fide, ne scelerum pœnas luerent, ad vos transierunt: miseret me vestri, ita me Deus amet. An fortè salutem vestram iis creditis,

qui suam non curant; qui sibi nequam est, aliis bonus esse nequit.

V. Omitto infaustum Patriarcharum vestrorum nomen; cogitate, quæso, ac seriò apud vos reputate, an Lutherus & Caluinus Petro Christi Vicario anteponendi sint. Vtriusq; laudes & Elogia suprà iam perstrinxi; hoc loco non repetam, ne vobis insultare videar, quod tantum abest, vt faciam, quin potiùs maximo vestræ salutis ac prosperitatis desiderio teneri me sentio. Sed mirum mihi semper accidit, qui fieri posset, vt prudentes & cordati viri, quales vos esse intelligo (nec enim factiosos quosdam compello, qui religionis obtentu tumultus excitant) duos sacerdotes apostatas Romani Pontifici anteferre non vererentur.

VI. Tanta fidei vestræ ac dogmatum varietas est, vt certi ac tuti esse minimè valeatis. Fides illa, quæ nutat, dubia est, ac proinde humana, non verò diuina; sed hæc nutatio ad constantem situm inclinat, & mutationem desiderat. Nutare in fide prudentis hominis non est; quum illa duntaxat fides tenenda sit, quàm certam esse constet; si autem certa est, minimè nutat. Alia, quæ caduca sunt, dubia & incerta manere, parum profectò interest: at salutem nostram dubiam esse, quoad eius fieri potest, vir prudens minimè patiatur.

VII. Quis autem non videt, quanti sit, Catholicorum partes sequi, & fidem nostram amplecti; in quo sanè nulla iactura fieri, sed maximum lucrum sperari potest; nempe apud vos etiam in confesso est,

quem-

quemlibet in Ecclesia Romana saluari posse; cùm tamen nos, in vestra secta, neminem saluum fore credamus, adultum scilicet, nisi fortè quispiam inculpato errore teneatur, & pro admissa lethali noxa, contritionis actum eliciat; quod quàm rarò accidere possit, iam suprà dictum est.

VIII. Itaque extra Ecclesiam Romanam, nullum lucrum sperari, & maximum damnũ, post mortem, iure timeri potest; in ea verò, nullum damnum timeri, sed maximum lucrum, & bonum sperari. Imprudenter igitur quispiam fecerit, si ab Ecclesia deficiat; salutem suam, hoc est, rei summam, manifesto periculo & aleæ committat; in Ecclesia Romana omnia sperare, nihil timere possum, modò cætera consentiant; extra Ecclesiam cuncta timere, nihil sperare; hinc omnia consequi, nihil perdere; illinc verò nihil consequi, omnia perdere; summa igitur stultitia est, ab Ecclesia desciscere.

IX. Nec est, quòd inconstantiæ & leuitatis nomen ac probrum timeatis, nempe mutare in melius, sapientis est; parentes vestri, qui ab Ecclesia discesserunt, iustam hanc causam afferre poterant, ne à recta ac sibi à maioribus relicta fide, & lege deficerent. At vos, qui vobis conscij estis erroris, & pessimi statûs, in quo viuitis, nihil sanè est, quod à mutatione deterrere queat, quam nemo prudens vitio vobis vertet, sed potiùs summæ laudi. Quis enim eum non laudet, qui errore comperto, ab eo declinat, & cognitam veritatem vltrò amplectitur.

X. Quid porro vos morari possit, non video;

non diuitiæ, quas retinetis; quæ tamen, si pro æterna salute relinquendæ essent, meliùs collocari non possent. De honoribus nihil dicam, quid enim homini honorificentius accidere possit, non video, quàm illud vitæ institutum amplecti, in quo verus Dei cultus habetur; quo Deum nobis demereri possumus, ac diuinam nobis amicitiam conciliare; ac proinde illud effatum optimè in nos quadrat: *Nimis honorati sunt amici tui Deus*; nempe inde veri honoris gloria deriuatur. Accedit, quòd, si opus esset, mundanum illum honorem quiuis floccifacere debet, vt æternam felicitatem consequatur.

XI. Nec vobis luculenta desunt exempla; nulla est ferè familia nobilis in Germania, ex qua aliquis ortus non sit, qui ad Ecclesiam redierit. Palatina Domus Eduardum nobis reddidit, Saxonia Lauemburgicum, Hassiana Langrauium; Wittemberga & Nassouia suos dederunt: Ex Brandeburgico sanguine, ac Brunsuicensi nonnullos inter Catholicos habemus; Holsatia Rantzouios ad nos remisit. Quid de Suecia dicam, cuius inclyta Regina, abdicato regno, & hæresi eiurata, fidem Catholicam profitetur.

XII. Mirum porro accidit, eò Germanos ac Septemtrionis Principes venisse, vt vel Caluini, vel Lutheri sectam amplecterentur, quæ Principibus non mediocriter aduersatur, ac Democratiam totis viribus promouet. Ab exemplis abstineo, ne iam obductas cicatrices refricare videar: Mirum quoque accidit, quomodo ab Ecclesia Romana desciuerint, in qua tantum Monarchiæ studium, tantus in

Monar-

Monarchas affectus, tanta Principibus gratificandi curæ.

XIII. An fortè aliquot præcepta Ecclesiastica animos vestros à nobis abalienant? pauca ieiunia vos terrent? festi dies per annum indicti non placent? soluere decimas graue est? aperire in Sacramentali Confessione peccata, durum vobis videtur? Sed quid hæc præ salute ac felicitate æterna? Si ieiunare noxium est, Ecclesia facilè vos eximet; Dies festi, vt iam indicaui, relaxationi animi potiùs, quàm diuino cultui seruiunt; Decimæ in iura Principum aut aliorum laicorum passim transierunt; Sacramentalis demum Confessio animum ita tranquillat, vt illa duntaxat conscientiæ stimulos obtundere valeat.

XIV. Quid ergo diutiùs vos tenet suspensos? optima parens Ecclesia vos dudùm expectat, manus vobis tendit, brachia explicat, viscera & sinum aperit; non pœnas parat, nec fulmina cudit, sed gratulabunda occurret, ac rebelles suos, immò rebellionis immemor, filios suos charissimos amplexabitur; errantem ouem hilaris in ouile reducet; perditam drachmam læta inueniet; & prodigum filium, qui perierat, exultabunda recipiet. Votis optimæ parentis morem gerite; reddite vos Matri & Deo, immò & vobismetipsis; saluti vestræ consulite, quam in Ecclesia duntaxat, nusquam aliàs inuenietis.

XV. Cæterùm, si dum vestra præcluderem effugia, aliquid fortè paullò acrius dictum excidit; ignosci-

ignoscite, quæso; malus certè animus non fuit, neque mens sinistra; testis enim est mihi Deus, quomodo in visceribus Christi vos amem, quantóque vestræ salutis desiderio teneri me sentiam. Faxit Deus, vt tandem aliquando illud tempus adsit, quo ex omnibus, saltem qui in Europa Christiani sunt, fiat vnum ouile, & vnus pastor. Hæc mea sunt vota & desideria, quibus si vestra conuersio accesserit, nihil est ampliùs in hac mortali vita, quod desiderem; contentus moriar, vbi vos, vt par est, viuere ac credere videro. Hoc vnum interim à supremo rerum moderatore Deo importunis precibus petam, vt mentes vestras cælestis luminis appulsu perfundat, & corda efficaci excitet motione, vt tandem eiuratis erroribus, in Ecclesiam admitti, ibíque veram Christi fidem & legem profiteri valeatis.

FINIS.

Omnia ad maiorem DEI gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ incrementum.



Corrige.

Pag.

6. v. 11. argumentis. *adde*. armatus.
9. v. 9. argumenti rem. l. vim.
13. v. 6. terminetur. l. determinetur.
25. v. 4. possit. l. possint.
62. v. 12. cuius. *adde*. operâ.
64. v. 2. subsunt. l. subest.
97. v. 3. à fin. perspicuum. l. perspicua.
105. v. 1. animales. l. animalis.
113. v. 20. & ab alia adstruuntur. l. & ab vna reiiciantur, quæ ab alia adstruuntur.
118. v. 13. abhinc annis. l. paucis abhinc annis.
143. v. 4. concedere. l. Deus concedere.
188. v. 5. facultates. l. difficultates.
213. v. 16. armorum. l. annorum.
245. v. 13. recepta. l. reperta.
295. v. 15. abrogatâ. l. arrogatâ.
316. v. 7. varium est. l. vanum est.
326. v. 20. Deum. l. Reum.